



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





6000287100


386.

Per. 244 91 d. 22  
300

29937

d.











JOSEPHI CIOBARNICH

MACARSKENSIS PRAEPOSITI

---

**DIOCLIAS**

**CARMEN POLYMETRUM**



SPALATI  
MDCCLXXXI

— — —  
Typis Antonii Zannoni

(For Rev.  
306)





# **VITAE**


PERILLUSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI

PRAEPOSITI

**JOSEPHI CIOBARNICH**

NARRATIO BREVIS.

---





Joseph Ciobarnich, piis parentibus natus est Macarskae, Dalmatiae oppido, die 16. Martii anni 1790. Jam puer, clericali militiae adscriptus, domi sub peculiari praestantissimorum virorum cura, primam habuit institutionem; deinde in celeberrimo Seminario patavino (1802-1814) integritate morum, fecunditate ingenii, ecclesiasticae disciplinae obcundae alacritate, in addiscendis scientiis litterisque praecipue vero latinis et graecis studio, fere omnes alumnos antecessit.

Die 19 mensis Junii anni 1814, sacerdotio initiatus, magistri munus strenue obivit Patavii, Macarskae, Jaderae et Spalati. Qua in civitate praepreimis: (1825) c. r. Gymnasii rector, verbo et exemplo per plures annos maxima laude praefuit; semper vultu hilari, imitator Josephi Calasantii, ad mores studiosae juventutis componendos omnem movere lapidem studuit, ut magis et magis quisque ex publica institutione maxima incrementa perciperet, nec non undique praeceptis Religionis sancte ac juste imbueretur.

Impiger doctusque antiquitatum investigator, fuit (1832-1842) c. r. Musei spalatensis rector et ordinator.

Cathedralis Ecclesiae Spalatensis anno 1832 canonicus honorarius, deinde anno 1834 canonicus praebendarius, per octo annos parochiale munus, decani et inspectoris scholastici officium simul conjungens, pater pauperum, amicus ac fere sodalis inter subjectos et aequales, praeclara dilectionis, prudentiae et fraternae charitatis specimina praebuit, adeo ut omnes eum maximo honore ac reverentia prosecuti sint.

In sermonibus tum ad populum, tum ad juvenes, semper coelesti suavitate et facundi eloquii lepore exornatis, alios omnino antecelluit.

Anno 1842 in patria (Macarska) jure merito ad Praeposituram promotus, praeclare se gessit; praeprimis in maximi momenti negotiis omnibus omnia factus, scientiarum et litterarum amator et cultor impiger, multorum juvenum magister munificus, tam in urbe quam ruri omnibus fuerat in deliciis.

Quapropter non solum apud omnes honestos et doctos viros Dalmatiae, sed etiam apud exteros, praecipue vero Patavii apud Melaniam, Furlanettum, Valentinellum, Agnoletum, Rubbium, Brausium, Zecchinellum, Farinam aliosque maximo honore ac reverentia fuit.

Poesim omni suae vitae tempore dilexit, ut non pauca ex ejus scriptis poeticis, quae non periire, testantur.

Haec autem in majora et minora commode possunt distribui: inter priora principem locum tenet *Dioclias*, Poema polymetrum, quod nunc primum typis mandamus. Summa deinde commendatione digna sunt illa tria *Carmina*, quae ipse Jaderae et Spalati, ad celebrandum adventum novorum Praesulum vulgaverat et quidem: 1. *Ecclesia Jaderitina* (231 hexametri) — 2. *Martyres Salonitani* (104 hexametri) 3. *Ecclesia Salonitana* (538 hexametri).

De illius vero carminibus, quae minora appellamus, quaeque potuerunt reperiri, extant adhuc sexagintaquinque, quorum *octodecim sacra, tredecim pontificalia, viginti imperatoria, quinque civica, quatuor varia*.

Eorum quae ad extollendas trium Caesarum nostrorum, nempe *Francisci I. et Ferdinandi I. et Francisci Josephi I.* felicissime imperantis, eximias virtutes, publici fecerat juris, et, si in unum colligi possent, praeclarum liberum efficerent, qui inscriptus; *Aureum fidelitatis in Principem speculum et omnium regalium virtutum laudationes* evulgandus et studiosae juventuti summopere commendandus esset, offerebat egregius vir semper nonnulla exemplaria imp. Gubernio provinciali, spe fretus, unum sal-

tem ex istis usque ad laudati Imperatoris thronum perventurum esse. Utrum vero id evenerit nec ne, incertum manet; cum poetae de optatis et invocatis acceptionibus numquam quidquam innotuerit.

Tantummodo quum praeclarum ejus carmen: *Die Natali Suae Majestatis FRANCISCI JOSEPHI I.* typis Pichleriis, Vindobonae, anno 1849 vulgatum esset, Ephemerides tum temporis: *Wiener Zuschauer*, numero 215, diei 19. Septembris anni 1849, de Viro nostro perillustri haec quae sequuntur aurea verba protulere:

„Aus der Pichler'schen Buchdruckerei ist aus Veranlassung des Geburtstages unsers geliebten Kaisers ein Gelegenheitsgedicht in lateinischer Sprache, unter den Titel: *Die Natali Suae Majestatis FRANCISCI JOSEPHI I. Imperatoris et Regis*“ aus der Feder des leider (in Wien) zu wenig gekannten und gewürdigten Schriftstellers *Joseph Ciobarnich*, Propstes in Macarska, der Öffentlichkeit übergeben worden. Es gehört unter die gelungensten Erzeugnisse in der klassischen Sprache des Alterthums, einer Sprache, die im laufenden Jahrhundert der Verkümmernng preis gegeben wurde! Der Verfasser ist einer der wenigen noch lebenden Eleven des weltberühmten Seminars zu Padua, welches einst Lehrer hatte, die sich die ehrenhafte Aufgabe stellten, nebst ihrer Berufspflicht die lateinische Sprache zu ihrem ehemaligen Reichthum und Blüte zu heben, und diese Aufgabe auf die ehrenvollste Weise lösten; er vereinigt das so seltene dichterische Talent Virgil's und das rednerische Cicero's in der Prosa, wovon seine Leistungen, aus denen wir das (538 Hexametra) lange Gedicht: *Ecclesia Salonitana* und die: *Oratio in funere Pauli Clementis Miosich Ep. Eccl. Spalatensis et Macarskensis* erwähnen, Zeugnisse geben.“

„Wir empfehlen das obige Gelegenheitsgedicht, welches die hohe Sendung und die Vorzüge unsers Kaisers in so erhabenem Schwunge und in so herrlich reiner Spra-

„che feiert, der Aufmerksamkeit gebildeter Leser.“ (A. M. Wiskocill)

Quae splendida verba cum celeberrimus Vir *Andreas Meschutar* Epis. in part. inf., tunc temporis apud Cultus Studiorumque Ministerium a Consiliis Aulicis, legisset et exemplar laudatissimi Carminis postulasset, non multos post menses *Sua Sacra Apostolica Majestas Imperator Noster FRANCISCUS JOSEPHUS I.* Reverendissimum *Ciobarnich*, Virum singulari pietate, scientia, humanitate et caritate erga Austriam clarissimum, magno aureo numismate pro scientiis et litteris decoravit.

Anno denique 1852, quum cura et studio Excellentissimi Dni Michaelis Viale-Prelà Nuntii Apostolici et Illmi. Dni. Andreae Meschutar, Praeposito Josepho dignitas Episcopalis i. p. i. tamquam Auxiliario Illmi. ac Revmi. Episcopi Spalatensis et Macarskensis, tenore Bullae Pontificiae „*Locum Beati Petri*“ pararetur, Josephus noster, Sanctae Ecclesiae defensor egregius, fautor Austriae fervidus, Austriacorum principum cautor praestans, strenuus, amantissimus, dalmatae juventuti in scientiis, litteris, patriae amore magister venerandus, Dalmatiae summum decus, omnibus carus, Cleri gloria splendida, Ecclesiae Macarskensis Praepositus, die 10 Novembris supremum clausit diem.

Ejus ossa in humili sepulcro, ad aediculae patrii coemeterii limina, modestissime condita sunt.

Ast vigesimo quinto obitus eius anniversario die, nempe die 10 mensis Nov. anni 1867, cum immortalis tanti Viri memoria amplissimis parentalibus Macarscae celebraretur, \*) patria ejus nobilis, sed non dives, desiderium iterum patefecit, ut tanto filio suo condignum erigeretur monumentum.

Et Deo Optimo Maximo Adjutore, monumentum fiet.

*Spalati die 1 Januarii 1881.*

---

\*) Vide opusculum: „Elogio di Mons. Giuseppe Ciobarnich, Preposito della Concattedrale di Macarsca“ — Spalato, Tip. A. Zannoni 1877.

**DIOCLIAS**

**JOSEPHI OIOBARNICH**

---

**CARMEN POLYMETRUM**

---

**LIBRI TRES.**



## AVVERTENZA.

---

La presente edizione è fatta sulla base di un autografo a noi favorito dal R. D. Pietro Škarica, discepolo dell' autore.

*La Redazione del Bullettino di Archeologia  
e Storia Dalmata.*

## PRAEFATIO

---



Quod elegantia verborum, et vehementissimo eloquio evulgavit Lactantius in suo celeberrimo de Mortibus Persecutorum libello, cum docuit omnes Christianae religionis insectatores teterrimos, ultrici Numinis ira plexos fuisse ac punitos; cuippiam forsán videbitur id Diocletiano minime contigisse, qui, imperio dejecto, tranquillam studuit peragere vitam insua pulcherrima aede atque inter vireta quae coleret, non procul a Salonis. Certissimum quidem est omnes Christicolarum insectatores primis illis surgentis religionis soeculis, vel ferro hostili, vel veneno, vel dira morborum vi, vel alia ratione saevissima, necatos esse et mortuos, in multorum exemplum, in ultionem illius crudelitatis teterrimae, qua usi sunt horrendum in modum tyranni illi, monstra illa, libicis belluis longe saeviora, in gregem innocuum Christi. Diocletiano imperante, foera admodum in Christicolas fúriit insectatio, atque fatalissima caedes. Ipse diu renuit vulgare legem insectationis. Furiis excitatus Galerii, ad omnem nequitiam paratissimi, et Sacerdotum malitia idolatricorum, qui summo cum metu, et livore acerrimo in dies crescere viderent

Christi fidelium numerum, et religionem florere, annuit tandem sceleratissimorum voluntati. Primum Nicomediae, inde Romae, ubi nunciavit edictum, tanta mentis imbecillitate et quasi dementia torquetur, ut hic malorum machinator, et scelerum inventor, et natura meticulosus, ut ait Lactantius, cogeretur itinera nova suscipere, lustrare urbes atque provincias, ad pristinam sanitatem obtinendam. Demum imperium cessit Galerio, et Caesarem appellavit Maximinum, quem adoptaverat, Urbem atque Italiam reliquit et ad Aedem suam, quam non procul a Salonis aedificaverat, in Dalmatiam se se recepit. Anastasius Diocletiani cubicularius Romae remanserat. Sed postquam vidit capite securi obruncari Artemiam Diocletiani filiam, quam frustra ad fugam dum excitaret, patratas clades, et internecciones Christicolarum et cruciatos omni scelere plenissimos cum lacrymabundus horreret, dominum sequitur, qui procul ab illa quam sperabat felicitate, merito vexabatur a conscientia scelerum, a cladum crudelitate, quae passim in illa sua persecutione viderentur saevire.

Anastasius interea consiliis cohortatus Artemiae Virginis et Martyris, Petrum adit Salonarum Episcopum, et lavacro mundatur. Christi miles Hero seni famulatur. Diocletianus, imo Diocles, in sua Aede pulcherrima vivebat. Hanc Aedem Anastasius Petro ostendit, qui clam suum Alumnum inviseret, et pietate ac fide firmaret. Quae magnificentia, quae nobilitas, qui splendor Aedis Diocletianae? Quae mollities, voluptas servorum, blanditiae mulierum, apparatus et varietas ludorum, templorum majestas, vanitas caeremoniarum, vita demum idolatricae gentis, quae palatium incolet, ad omnem luxum, ad vitium omne pa-

rata? Quae dum pia meditatione sanctissimus Pastor penderet, et corruptos mores ac fuites pernosceret vanitates, consilia dat pietatis ac religionis plenissima optimo adolescenti, alumno suo, quem divino flamine noverat sui fore imitorem in morte pro Christo fortissime et gloriosissime inter cruciatus obeunda. Anastasius ita ad sanctitatem cohortatus frustra quaerit suum solari, verborum dulcedine, Herum, qui in summa mentis imbecillitate et vitae languore nullum solatii modum, pacem nullam reperiret. Nec jam illum venatus recreat, vel hortorum amoenitas, nec ludorum pompa, nec varietas, nec copia rerum omnigenarum. Frustra illum Hereulius ad imperium resumendum excitat, cujus mors turpis angit ac turbat. Constantini triumphus auget timorem. Quies nulla, somnus nullus, spectra horrore plenissima, sequuntur tyrannum. Omnes propinqui, cognati omnes, ob fidem ad necem damnati, imaginibus ad tristitiam compositis, illum insectabantur. Die ac nocte haec spectra contemplatur, audit voces objurgationis, singulis horis ultricem iram formidat. Et quoties hos sensus doloris removent aliqua solatia, praeteritos annos revocat, nominis gloriam, imperiorum memoriam, movent illum ac torquent illico Constantini triumphus, clades Maxentii, dejectio statuarum, trophaeorum eversio, contemptus famae. Cum vero Mediolanum ad nuptias Licinianas invitaretur, timidusque renueret, in tantam labitur dejectionem, ut desperato quodam sensu gemitus ageret, complo-raret miserandum in modum, donec inedia ac angore consumptus periret morte quidem teterrima, justissima coelestis ultionis poena. En terrificus Dioclis finis.

Iste est Carminis Prospectus. Tribus libris extraemae

Diocletiani vices narrantur. Quemadmodum autem in enarrandis hisce vicibus, in Palatio describendo, in illis scenarum imaginibus exhibendis, quae ad mortem compulerunt Dioclem, affectus humani vel teneri, vel vehementes sunt referendi identidem, ita varietate carminum, aptoque metro utendum censi. Quidquid enim Historia exponit, Hexameter narrat, dum Odes vel aliae concinendi species indicant ea, quae motus cordis propius attingunt. Hinc Polymetrum dicitur Carmen. Privata vero haec Diocletiani vita, seu haec divini Numinis ultio, in hunc Christicolarum perditissimum insectatorem, Dioclias, potest a Dioclis Namine adpellari.



# **LIBER PRIMUS.**







Fata cano Dioclis (1), Roma qui venit ab urbe  
Imperium fugiens, posito diademate frontis,  
Haud procul a longis, privatus, in aede Salonis  
Ultima securae perducere tempora vitae.  
Relligio, tua gesta cano, partumque triumphum  
Dalmatico tandem victrix in littore, primum  
Postquam obiit dirus rabie cessante Tyrannus.  
Virgo potens coeli, quae fulgido in aethere regnas,  
Numinis aeterni Mater, dilectaque Nata,  
Quaeque sacrum recolis Templum, quo turpia quondam,  
Tartareis instructa dolis simulacra nitebant,  
Auxilio praesens adsis; vim trade canenti.  
Grande scelus, fraudesque malas, artesque profanas  
Exere, regalique erecta palatia luxu,  
Et saevas Dioclis poenas, coelestiaque arma:  
Adde novum cordi divino flamine robur.

Lux erat, excitus furis qua Caesar (2) iniquis  
Multa fremens, Dioclem flagranti voce fatigat  
Et furere in miseros lustrali flumine lotos  
20 Christiadas, mactare omnes, succendere templa,  
Vertere in excidium, fatale extinguere nomen.  
His actus, solio Diocles furibundus in alto,  
Hostis, ait, pereat, pereant inimica Deorum  
Pectora. Avernalem vulgat fera buccina legem.  
Nobile Bithyniae (3) Templum, quo thura fideles  
Sacra Deo ferrent, noctu facto impete passim  
Adsiliunt turbae; dissolvunt cardine portas.  
Tum penetrant, armisque urgent, atque omnia miscent,  
Evertunt aras, rapitur pretiosa supellex,  
30 Librorum cumulus comburitur, altaque circum  
Tecta labant concussa ictu, crebrasque ruinas



Jam monstrant passim, tignorum vincla cremantur,  
 Junctura in praeceps murorum solvitur omnis :  
 Nil nisi saxa jacent : saxorumque area, et horror.

Tum Tiberim cernunt Capitoliaque alta Quirini  
 Infernis acti diris, monstrisque Tyranni.  
 In populum lex atra datur, mediis e faucibus orci  
 Barbaries egressa furit, crudelis Erinnyis  
 Anguineis implexa comis, stridente flagello,  
 40 Per fora, perque vias errat, crudelia miscens  
 Funera funeribus : regnat mors horrida vultu.  
 Christiadum turbae, vinclis post terga revinctis,  
 Undique mactantur, poenasque agitantur in omnes.  
 Jamque cruces surgunt, vexataque corpora monstrant,  
 Jamque rotae torquent artus, ex ossibus ossa  
 Dirumpunt, nervosque secant, jam pectine membra  
 Dilaniata cadunt, cruor it, trepidantia carnis  
 Frustra jacent circum, plumbo ferventia in aera  
 Vel pice flammanti ponuntur corpora, et ipsa  
 50 In capita effundunt stridentia vasa metallo.  
 Figuntur alii, jaculorum cuspide caesi,  
 Procumbunt alii passim, mirabile visu,  
 Arbore ab advers rapti lacerantur utrimque  
 Igne ardent alii lento carbone cremantur  
 Cratibus impositi, nodorum singula cultro  
 Vincula partiri cernunt. Quis talia fando  
 Continet a lacrymis ? Diri spectacula theatri  
 Saeva patent. Urget plebs, se calcatque, premitque,  
 Jamque catervatim, niveis cum vestibus adstant  
 60 Christicolae, pia vota Deo cum caede daturi.  
 Dentibus infrendent tigres, caudaque leones  
 Horrendum resonant, atque agmina crebra ferarum  
 Innocuos lacerant artus, rictuque cruento  
 Pulvereos inter cumulos, rapiuntque vorantque.  
 Gens plausus tollit, congaudet caede tyrannus.

**Q**uid, saeve Galeri, aestuanti lumine  
Quae tu parasti iniquiore pectore  
Spectacula cernis inquinata plurima  
Caede innocentum? Quid tyranne perfide  
70 Quid gestis exultans piorum sanguine?  
Te poena vindix irritati Numinis  
Contorquet, angit, horridoque vulnere  
Divexat, urit intimum praecordium!  
Jam pectus intus, ulcus atrum devorat,  
Sinumque scindit, tetricoque latius  
Odore foetens effluensque vermibus;  
Pellisque ventris et coxarum, vel pedum  
Inflatur instar otris atri luridi.  
Frustra sagaces dant, parantque pharmaca  
80 Artis magistri: cuncta foetor occupat.  
Carnes vorantur verminum examinibus,  
Trahuntur ossa rupta foedis ossibus  
Pedesque pulsu nigricanti concidunt,  
Manusque, brachia, atque foeda femora.  
At lingua fervens imprecatur, evomit  
Probrosa verba, noxiasque injurias  
In praepotentis ultionem Numinis.  
Dum Daemon extra cedens horret, sibilat  
Rapitque frendens ingementem spiritum  
90 Ad ima ducit, igneosque vortices.

**V**erte lumen, verte retro territumque sol jubar  
Ac nefandas pelle scenas, pelle clades horridas.  
Per plateas, perque calles, perque cuncta compita,  
Ossa rupta, trunca membra, foeda multo sanguine  
Adjacentque quaque circum concrematae victimae.  
Tybur undas inquinatas permeat corporibus  
In remotis dira strages Imperi confinibus  
Irruitque saeviensque funus addit funeri.

100 Nulla villa, civitasque nulla passim regio  
 Absque clade vel dolore vel flagellis cernitur.  
 Quot per agros, ingruente nive, frondes concidunt,  
 Tot per urbes corruentes hostiae ardent martyrum :  
 At triumphat innocentum crux cruore perlita.

**D**assorum numero Diocles turbatus, ab imo  
 Corde trahit gemitus, trepidat, pallescit in ore,  
 Mens incerta nutat, noctu vox insonat auri.  
 Heu fuge crudeles terras, fuge barbare Romam,  
 Abjice et imperium : cives tua jussa necarunt.  
 Solus, iners, pavidus, nato fera scepra relinquit,  
 110 Saevitia simili. Curis immersus iniquis  
 Diffugit extemplo, curruque invectus equino  
 Transgreditur Latium, montanaque rura, Pelignos  
 Atque Ravennatum colles. Iam littora calcat,  
 Adriaco vehitur pelago, scopulosque secundo  
 Dalmaticos austro tangit, tutusque silensque  
 Constructa ingreditur grandi palatia luxu.  
 Salve, ait, aedes cara mihi, salvete cupitae  
 Murorum turres, tellus o Patria, salve.  
 Vos tandem video laetus, vos atria longa  
 120 Vosque columnarum moles, vos templa saluto.  
 Hic tranquillus agam vitam, strepituque remoto  
 Hic recolam tacitus dulci viridaria cultu.

Cladibus haec merces? haec praemia digna Tyranni?  
 Sic procul a curis ducat sua tempora saevus  
 Christiadum tortor, Christique acerrimus hostis?  
 Roma cadaveribus fervet, sua funera plorant  
 Urbes Italiae, diroque agitata furore  
 Europa atque Asia, extensis ditissima regnis,  
 Et Libiae populi passim, gentesque Canopi.  
 130 Proh scelus infandum Dioclis! Circum horrida late  
 Carnificum rabies bacchatur et omnia foedat.  
 Belligio pugnata diu pede calcat ovanti

Infernos nisus, fera proelia, et arma cruenta,  
 Dum mactanda cohors, vinclisque ligata, serenos  
 Attollit vultus, animas Deus ipse volantes  
 Evocat aeterni ad felicia gaudia coeli.


Cesareos inter Dioclis, fidosque cubicli  
 Custodes, juvenis gladio metuendus et hasta,  
 Unus erat Romae, toto pulcherrimus ore,  
 140 Nomine Anastiades. <sup>4)</sup> Clades et vulnera cernens  
 Horruit illacrymans, divino flamine ductus  
 Sanguineas fugiens foedati Tybridis undas  
 Littus ad Illyricum accedit, portuque potitur.  
 Nox erat, abrupto Baebî e vertice montis  
 Luna nitet, circum secura silentia regnant.  
 Vix sylvas agitat zephyrus molcentibus alis,  
 En tepidum Jader viridanti labitur ora  
 Dulce nemus recreat, quo lento vimine tecta  
 Parva domus surgit, limenque aperitur, et auri  
 150 Vox sonat orantis. Juvenis volat, illico plorans  
 Flectitur ante pedes Patris, bona verba precatus.  
 Fatur Anastiades : Pastor <sup>5)</sup>, venerande Sacerdos,  
 Me pavidum cernis fugientem e moenibus Urbis  
 Cladibus ereptum, veniam concede timenti.  
 Mens cupit intactam Christi pernoscere legem.  
 Miles ero Christi, fuso cum sanguine Martyr,  
 Auxilium misero dona, solare jacentem.  
 Adspexi horrendas clades, fortemque puellam  
 Ante oculos cecidisse meos. Moritura, salutis  
 160 Monstrat iter, nomenque tuum, pia mûnia pandit.

Tum Senior, pietate gravis, dulcedine plenus,  
 Hos cape complexus, inquit, dulcissime nate :  
 Macte animo, vitam dabo, dic quae candida Virgo  
 Hoc tibi jussit opus. Flammantia lumina tollens,  
 Fatur Anastiades, lacrymisque per ora solutis :  
 Christiadam Pastor, sancta venerande senecta,

- Filia parva suo Diocli crescebat in aede,  
 Vultu pulchra nimis, stellae fulgentis ad instar  
 Mane novo, auratis candentia colla capillis  
 170 Diva gerens, roseoque genas obtincta colore,  
 Effulgensque oculis, partu quam diva Serena  
 Optato dederat patri: illi Artemia nomen. (\*)  
 Caesaris unus amor, spes una puellula, et unum  
 Delicium cordis, solamen dulce laborum,  
 Curarumque quies, medio in discrimine regni.  
 Parvula adhuc, dios referebat pectore sensus  
 Nata deo repetens coelestia dicta parentis,  
 Gratia dum toto fulgeret corpore, et omnis  
 Pompa venustatis. Nondum lanugine prima  
 180 Os mihi florebat, jussu cum Caesaris adsto  
 Cellarum custos, cui fas penetrare cubicla;  
 Saepe ibi formosam nitido candore puellam  
 Cernebam, cordis studium, blandumque levamen.  
 Quinque super binos vix illa expleverat annos  
 Daemon cum mediis egressus faucibus orci,  
 Innocuae corpus subito dira arte puellae  
 Perfidus invadit: patris justissima poena.

- Q**uis te, puella, quis repente surripit  
 Furor potenti membra vexans impete?  
 190 Adurgit ingens, erigitque clamitans  
 Caput, manusque, flammeosque luminum  
 Orbes revolvens, et capillos tristius  
 Per colla spargens: percutit mox corpore  
 Terram recumbens, illicoque sternitar,  
 Interque pulverem movetur, volvitur,  
 Spumansque dentibusque frendens horride.  
 Sopor misellam de repente comprimit:  
 Sudore tota frons cadente prominet,  
 Frigetque, clauduntur leves ocelluli,

- 200 Color labella contegitque pallidus,  
 Candorque vultum pingit instar lili,  
 Quod pes vel ipse falce rusticus secat,  
 Jacetque campo : mortuae simillimam  
 Vides puellam, motus ecce contrahit  
 Novusque membra lassa torquet, diripit,  
 Manusque tendit et recludit lumina.  
 Adsurgit, adstat, elevatque languidum  
 Caput, puella mugiensque sanguinem  
 Effundit ore, verberatque dextera
- 210 Auramque pulsat, insilitque clamitans,  
 Terret videntes. Mater ingenti gemit  
 Dolore, opemque Numinis certissimam  
 Solers requirit, ipse Caesar advolat.  
 Vocesque tollit lacrymandas, horridus  
 Ceu bos securi vulneratus mugiens.  
 Specta dolores innocentis filiae  
 Poenasque saevas anxias, teterrimas,  
 Tyranne, dirus quem furor super gregem  
 Christi sequacem urget cruento vulnere
- 220 Spargitque passim dissecatas victimas.  
 Coelestis ira manet poena vindicee.

- t Pater anxiferos tolerat dum corde dolores,  
 Audit Ciriaci nomen vocitare puellam.  
 Ipse minister erat divino numine grandis  
 Portentisque suae reserabat munera dextrae  
 Christi adum spes una simul praedulce levamen,  
 Carceribus clausos, tormenta ad saeva paratos,  
 Angelico nutrire cibo potuque superno,  
 Unica cura fuit. Vinculorum pondere pressum
- 230 Squallidus horror habet. Jussu pius iste Tyranni  
 Egreditur patiens, plorat, cernitque puellam  
 Insidiasque aperit, dio munimine fretus

Grandi voce inquit : daemon saevissime, linque  
 Innocuum corpus. Fremit horridus ore nefando :  
 Quo fugiam ? Divus repetit : cito linque puellam  
 Portator scelerum. Teneam nova corpora certe,  
 Hostis ait, fremit horrendum dans sibila, circum  
 Foetorem effundens fugit illico citior aura  
 Sentit ubi Jesu nomen. Mox laeta puella  
 240 Adsurgit, roseo effundens splendore, novaque  
 Subridens specie : salve, venerabile Jesu,  
 Salve, iterum dixit, repetita Artemia voce.  
 Christiadum praecepta docet, pia dona minister,  
 Virgineumque caput lustrali flumine purgat.  
 Angelicam tradit vitam, coeloque reformat.  
 Materna pietate simul, simul excita grandi  
 Virtutum exemplo, foeda ceu saepe palude  
 Candidulas frondes flos integer erigit usque,  
 Sic aula Dioclis vitiorum sorde referta  
 250 Casta puella suo vitae candore nitebat.  
 Illius et mentem sancti doctrina magistri  
 Excitat ad summum coelestis Numinis ignem.  
 Nil nisi divinos flammanti pectore amores  
 Exoptat, coeloque inhiat, divinaque quaerit.  
 Ipse ego mundani captus dulcedine sensus,  
 Formosaque oris specie, frontisque decore,  
 Ecce sequor velox vestigia prompta puellae,  
 Impatiensque viae resonanti Artemia voce  
 Quo fugis, inclamo ! quae te modo cella recepit ?  
 260 Te quaero infelix, oculis te proripis istis ?  
 Spectaculi strepitum spernit ludosque theatri  
 Dum tu seposita gaudes sola aede latere  
 Aut horti ad virides plantas tua tollere vota  
 Vel sacra thura Deo laudesque offerre, precesque  
 Juxta aram aediculae, divaeque adsidere mensae.  
 Me sequere alma soror, nostras ne despice voces,

Haud procul a Templo quondam succedo puellae ;  
 Illa solum spectans : Christo sacravit amorem  
 Mens mea, ait, castumque ipsi nunc dedico florem.

270

**Q**uo praepotenti, quo feror impete ?  
 Quae vis medullas pectoris excitat,  
 Ardorque me tentat supernus  
 Dulcisonas agitare flammās ?  
 En insolenti me mihi surripit  
 Laetam volatu : jam teneo aethera  
 Mi sponsus amplexus beatos  
 Tradit ovans, tenerosque amores.

280

En vox amatis auribus insonat  
 Sponsi beati ; per juga montium  
 Ipse, ipse percurrit cupitque  
 Arboreos superare colles.  
 Dilectus adstat ; jam loquitur mihi :  
 Exsurge cordis pars melior mei,  
 Accede festinans columba  
 Candidior nitidis puellis.  
 Soror coruscans, sponsaque pulchrior  
 Laesere nostrum vulnere corculum  
 Sub fronte fulgentes ocelli  
 Colla super rubei capilli.

290

Languore dulci gaudeo solvier  
 Dum Sponsus adstat candidior nive,  
 Auroque distinctus nitenti  
 Mille virum referens decorem.  
 Cen lecta mirram lilia defluunt  
 Cum mi loquuntur labia vivida ;  
 Manusque tornatae reportant  
 Purpureas violas rosasque.



Hic mi le castis oscula dat genis  
 Interque stringit brachia mollia,  
 300 Sponsaeque promittit fideli  
 Aethereas sine fine sedes.

**O**mnium, tacuique silens hoc carmine, et inde  
 Confusus fugio. Laetum pia Virgo triumphum  
 Concelebrat. Diocles cum jam discesserat Urbe  
 Et regit Hercules (?) solium, tum Caesar iniqua  
 Mente cupit sceptrum. Diri quae barbara cordis  
 Saevities? Vel quae rabies furibunda tyrannum  
 Exagitat, torquetque simul, vexatque furore  
 Tartareo? Libyca veluti cum tigris arena  
 310 Si catulos rapuere specu trepidaeque dedere  
 Venantes sua terga fugae, tum protinus illa  
 Egreditur quaerens natos, inclamat, et ardet,  
 Hinc atque hinc currit, flammisque effundit ab ore,  
 Pulsat cauda humeros, horrendumque insonat alte,  
 Dentibus infrendet rabidis, unguisque cruentas  
 Attollit, sternitque furens quod conspicit usquam  
 Armentumque hominesque suo jam sanguine foedat.  
 Haud secus innocuas furibundo pectore fertur  
 Christiadum in turmas Caesar: Vos ite ministri,  
 320 Horrendo sonitu clamat, vos ite furentes,  
 Vos vexate simul, date vulnera, fundite clades.

**H**orrenda clades innovatur undique.  
 Libri cremantur et sacratum vestium  
 Insigne, vasa, luminare, imagines:  
 Ab igne Tempa dissipata concidunt  
 Araque corruunt sacratae in pulvere  
 Ab aede Virgo corruenti Artemia  
 Se proripit, manuque gestans vascula  
 Servanda quae sibi magister tradidit.

- 330 Videt puellam denotatque Caesari  
 Dirus minister, horridusque carnifex.  
 Comprensa Virgo clauditur mox carcere.  
 Quae turpis ira, quis furor teterrimus  
 Te cogit in sororem atroci cuspide  
 Saevire Caesar (\*) omnium dirissime  
 Manusque fraterno inquinari sanguine?  
 Quae saeva rupes Africae te prodidit;  
 Vel quae leena lacte nutritivo suo;  
 Leone saevior, vel ipsa tigride?
- 340 Nempe Dioclis imperantis filia  
 Fratris peribit diriori dextera  
 Qui te vocavit filium, qui Caesarem?  
 Sic ergo gratias rependis barbare!  
 Coelestis ira mors manet te perfide.

- I**nterea Caesar rabie furibundus acerba  
 Jusserat innocuum manibus post terga revinctis  
 Ciriaceum ante suum, facinus miserabile, curram  
 Diripier; veteris Capitolia ad alta Quirini  
 Ipse triumphali pompa conscendit et omnis
- 350 Ordo virum, fremitu dum dat tuba signa secundo  
 Incedit; nitidis fulgent longa agmina in armis  
 Formidatae equitum turmae, peditumque phalanges  
 Praecedunt aquilasque agitant, plaususque secundant.  
 Progreditur grandi exultans gravitate Senatus  
 Ecce trahit sonipes niveo candore quadrigam,  
 Qua novus adscendit Caesar, nova sceptrum superbus  
 Augurat et toto captum moderamen in orbe.  
 Ipse catenatus, plebis lacrimabile probrum,  
 Adstat Ciriaceus trepidanti corpore, ad astra
- 360 Sanguineos tollens oculos, signansque propinquum  
 Jam finem vitae, liceat quo gaudia coeli  
 Angelicos inter coetus sibi certa subire,

His rite expletis insons velut hostia ad aram  
Ducitur, at Numen flexo sic poplite adorat.

**A**eterne, salve, conditor et Pater  
Rerum, sinu qui colligis omnia,  
Virtusque Virtutum perennis  
Omnigenum cumulus decorum.

370 Spectas abyssum qui quoties tuam,  
Tuamque ab aevo nosis imaginem,  
Exurgit immensus per aevum  
Ipse Deus, Genitus, Redemptor.

Acterno ab aevo Te quoque conspicias,  
Amore Verbum diligis editum ;  
Hinc spirat emanans beatæ  
Ille dator Deus ipse pacis.

Hanc sume vitam, mi Deus, hostiam,  
Volat soluto corpore spiritus  
Deique Virtutem tuetur  
380 Ceu speculo bona cuncta noscens.

**I**nde picis sumens tortor ferventis ænenum  
In caput, horrendum dictu, jam versat, at ipse  
Ciriacus poenas inter constantior adstat ;  
Cervicem obruncat tandem ferrata securis.  
Spiritus astra petit fulgentis lucis ad instar.

**M**artyr, intactæ pietatis Heros  
Corde qui spernens rabiem tyranni  
Ausus es diras superare poenas,  
Inclite salve.

390 Tarda certamen celebrabit aetas  
 Et tuae mortis meritos honores,  
 Inter et plausus referent per aevum  
 Grande tropaeum.  
 Scilicet sedes habitas beatas  
 Gaudio certus frueris perenni :  
 Da mihi tantas retulisse palmas  
 Pectore forti.

**A**sper acerba tuens discedit Caesar, et Aulam  
 Ingreditur truculenta parans ; jam caede sororem  
 400 Exposit, mortemque jubet, capit arma cruenta.  
 Tunc ego collacrymans casum sortemque puellae  
 Plenus amore simul, simul et pietate verenda  
 Carceris horrorem video, quo pulchra jacebat  
 Circumvineta manus nodis Artemia Virgo.  
 Illa preces tollens haec secum dulcia fatur.

**H**eu quis me rapit insolens  
 Motus vasta per aethera ?  
 Et dulcedine coelica  
 Intus pectora mulcet ?  
 410 Circum quis radians nitor  
 Invadit tenerum sinum ?  
 Rerum quae species nova  
 Hos percellit ocellos ?  
 Istis auribus audio  
 Cantus angelici sonos,  
 Et sacros modularier  
 Dulci carmine amores.  
 Sanctus tu Deus Agminum  
 Pollenti omnia dextera  
 420 Sanctus tu Deus unicus  
 Aeterni arbiter aevi,

Sanctus, ter resonant Chori  
 Laeto murmure Coelitum,  
 Sanctus, plausibus integris  
 Omnes voce resultant.

Quis languor mihi corculum  
 Coelestis beat, occupat !  
 Ipsa en spiritus advolans  
 Coeli sedibus adsto.

430

**A**ccedo : excutitur jucundo Artemia somno.

Alloquor aetherea radiantem luce puellam.  
 Virgo, tuam Frater diro cum vulnere mortem  
 Jam quaerit rabie spumans ; vestigia mecum  
 Haec sequere, absque metu : tortor jam barbarus instat  
 Heu fuge crudeles precor, o fuge Candida terras  
 Et fuge Christiadam palatia foeda cruore.  
 Ne timeas, calles omnes, omnesque recessus  
 Ipse ego, jam novi : fugiemus carcere tuti.  
 Incolumem ducam te ad tecta segura Parentis  
 440 Littore in Adriaco, tepidum quo excurrit Iader.  
 Parce animae, dilecta, tuae, Oh ! parce salutem,  
 Et parce his annis : teneri miserere laboris.  
 En tortor penetrat portam, parat arma cruenta.  
 Heu fuge sanguineas fuge mecum Artemia terras.  
 Excita tum Virgo, vertens sua lumina circum  
 Proh quid Anastiades, fatur laetissima in ore,  
 Quid tentas ? Tecum fugiam loca carceris atra ?  
 Ipsane formidem crudelia vulnera mortis ?

450

**V**olant frequentes Angeli ab aethere  
 Gestantque palmam. Concidet hoc caput,  
 Dei sed amplexus cupitos  
 Huic animae dabitur videre

Quae mi paratur coelica faustitas!  
 Perenne in aevum quae nova gaudia!  
 Praemonstrat exemplo ferocem  
 Ciriacus superare pugnam.  
 Parum malorum, cladium et imminet.  
 Quid hoc doloris? Cor magis aestuat  
 Amore, dum Sponsus supernus  
 460 Dulce meum vocat ipse nomen.  
 Festino velox. Quo feror impete  
 Sic insolenti vasta per aethera?  
 Quid funditur circum beata  
 Exhilarans loca cuncta luce?  
 Intaminatus late amor incolit,  
 Ad Sponsi amicos Sponsa venit sinus.  
 En Virgo candorem sacravit  
 Virgineum teneris ab annis.

**I**ngreditur lictor. Flavos rapit ipse capillos.  
 470 Effundo lacrymas. Ad me conversa puella  
 Ne plores, dilecte, inquit; nil proxima turbat  
 Me mors. Haud moriar, victrix supera astra tenebo.  
 Tu pete tecta patris. Venerandi detege Sedem  
 Qua Petrus vivit, sacrum et moderatur ovile  
 Christiadam, mea cura, mihi carissime sodes,  
 Quaere oculis coelum, dia mundaberis unda.  
 Littore in extremo similem captare triumphum  
 Fas erit. Haec serva. Valcas carissime. Coelum  
 Me vocat. En palmam descendens Angelus adfert,  
 480 Adnectitque meo capiti diadema corruscans.  
 Hanc animam, hos sensus precor o tu collige Jesu.  
 Decidit horrendus gladius; cervice revulsum  
 Jam cadit innocuum caput; intactoque cruore  
 Terra madet: rapit unus amor super aethera mentem.  
 Talia voce cano: Salve lectissima Virgo!

- Q**uae lux coelica carcerem  
 Invadit radiis beans ?  
 Ut pulcro aethere devolant  
 Laetanti Agmina cantu !
- 490 Sedes sancta recluditur.  
 Chorus Virginum amabilis  
 Inter brachia colligit  
 Ridenti ore puellam.  
 Ecce Artemia dulcia  
 Sponsi basia percipit ;  
 Sumit gaudia fulgida  
 Contentusque suaves.
- 500 Coeli Regia, Numinis  
 Aeterni Solium nitens  
 Percellis tenerum mihi  
 Qua dulcedine pectus ?  
 Quae vox auribus insonat  
 Perquam vox mihi amabilis ?  
 Nempe Artemia ab aethere  
 Me nunc nomine dicit.
- Virgo pulchrior Angelis  
 Dii sponsaque flaminis  
 Monstrat praemia gloriae  
 Mi futura perennis.
- 510 Haec haec impavidus pctam.  
 Nempe Artemia, te sequar.  
 Christi miles et inclitus  
 Ero et sanguine Martyr.

**C**arcere prorumpens subito, cum talia fatus,  
 Evoco Marcellum (°) Romae qui summa tenebat

- Inter Christiadas, me dum Lucina (10) juvabat,  
 Virgineum corpus, collecto sanguine, tristes  
 Balsamicoque oleo, fragranti et aromate inunctum  
 Susannae juxta loculum componimus Arca.
- 520 Extemplo trepidans saeva digressus ab Urbe  
 Amplexus venerande tuos dulcedine tanta  
 Excipio Pastor, vitae tu munera praebe,  
 Quae mihi promisit moriens Artemia Virgo.  
 Interea Senior lacrymis audivit obortis  
 Quidquid Anastiades retulit; mox ipse libenter  
 Vitae munus, ait, tradam; prope volvitur unda  
 Has inter ripas Jadris, jam pressimus illas.  
 Hic Pastor tollens oculos coeleste precatus  
 Auxilium juvenis cervicem numine plenus
- 530 Lustrali conspargit aqua, simul ore sacrata  
 Verba sonat sanctam subito donantia vitam  
 Littore ab eoo lux fulsit fulguris instar  
 Lambit Anastiadis frontem; mox decidit ipse  
 Laetitiae nova signa videns, animaeque recentem  
 Concipiens formam interius purumque nitorem.  
 Exurgens, salve, dixit, Deus optime, salve.

- S**alve Augusta Trias, nobilis Unitas  
 Salve Stelligeri Conditor aetheris  
 Rerumque omnigenum tu Pater Arbiter
- 540 Pollenti omnia dextera.  
 Aeterni Unigenus saecula per omnia  
 Salve aeternae Deus, sanguine qui tuo  
 Servasti redimens terrigenum genus  
 Suspensus Crucis arbore.  
 Salve divus Amor, Spiritus integro  
 Qui Patrem et copulas flamine Filium,  
 Portento tenero Cristiadam beas  
 Sancto munere pectora.



550 Culparum maculis scilicet integer  
 Solutis vitiis ; ipsaque sanctitas  
 Exornans animam lumine coelico  
 Praebet candida gaudia.  
 Salve Crux tribuens dona perennia  
 Salve Relligio spes hominum unica,  
 Pro Te despiciam saevitiem hostium ;  
 Erunt dulcia vulnera.

**I**uterea Petrus ridenti laetior ore  
 Oscula dat juveni sancti nova pignora amoris.  
 Laetus Anastiades sequitur vestigia Patris ;  
 560 Callibus obtectis sacram sic itur ad aedem,  
 Qua recolit Domni venerans pia turba sepulchrum.  
 Longa Salonarum prospectans moenia, et arces  
 Pastor ait, priscos urbs haec celebrata per annos.  
 Hic surgit : meminì, retulit quae carmina Vates.

**I**nteritu alterno quidquid servatur in orbe  
 Et casu alterno vimque diemque capit.  
 Grandia ab exiguis ducunt exordia rebus  
 Et regna a parvis urbibus ipsa vigent.  
 Sic quae vix humilis surgebat Martia Roma,  
 570 Caede Albae, septem collibus ipsa sedet.  
 Sic Tyrinthiades quam olim fundaverat Hillus (1)  
 Atque loco dederat nomen habere suum ;  
 Parva quidem angustos claudebant moenia calles,  
 Urbs humilis, populus pauper et ipse fuit.  
 Ast cum Delminii venit Romanus ad arces,  
 Et cinxit multis oppida militibus ;  
 Evertit victor turres, portasque, domosque  
 Marte furens currit per fora, perque vias ;

580 Romulidumque iram et ferro patriam ultus et igne  
 Indigrum gentem misit in exilium.  
 Tunc miseros cives dulces liquisse penates,  
 Oppidaque et villas incoluisse ferunt;  
 Et veteris passim muros subiisse Salonae,  
 Dum secum multas divitias veherent;  
 Et populo titulum, decus et praegrande dedisse,  
 Et dixisse suo nomine Dalmatiam.  
 Littore in Adriaco sic crevit prisca Salona  
 Fulget et Illyrici gloria prima soli.

**T**unc bello fortes grandesque minacibus armis  
 590 Heroes aderant, animosque ad magna ciebant.  
 Moenia cum premeret rigido Romana juvenus  
 Obsidio urgetetque fame, ruit horrida in hostes  
 Femineae (<sup>12</sup>) stirpis manus et formidine miscet  
 Omnia terrifica: facili nunc mente recordor  
 Quae vates cecinit memorans praegrande tropaeum.

**H**eros potenti percitus impete  
 Dextraeque fulgens robore albae  
 Fertur per obstantes catervas  
 Horrifica metuendus hasta.  
 600 Qua vis coruscat fortior hostium,  
 Volat secundo Marte furentior  
 Iraque succensus, cruento  
 Sternit equos, equitesque ferro,  
 Percussa dira caede acies fugit.  
 En glorioso pulvere perlitus  
 Lauroque praecinctus, superbos  
 Victor ovans geminat triumphos.

- Vi praepotenti Mars rabidus rapit  
 Interdum et ipsas femineas manus,  
 610 Cogitque matronas in armis  
 Belligeras agitare turmas  
  
 Clio revolvens gesta Salonidum  
 Mentis puellas exere bellicae,  
 Quae quondam in adversas ruerunt  
 Romulidum intrepidae phalanges.  
  
 Adgressa cerno milite plurimo  
 Circum Salonae moenia, et arduas  
 Turresque, portasque insolenti  
 Passim acie trepidare cerno.  
  
 620 Infesta denso fortia ab aggere  
 Stant castra: crebro dux ferus impete  
 Insultat urbi, cursitansque  
 Dalmaticos populatur agros.  
  
 Tumultuoso qualis in aequore  
 Immota rupes tollitur ardua,  
 Et frangit undarum furores  
 Et rabiem minitantis austri:  
  
 Sic aestuanti pectore civica  
 Cohors frequentes dejicit impetus,  
 630 Hostilis insultus juventae  
 Vi cohibet removetque ferro.  
  
 Recens furori quis furor additur?  
 Cietque ad ausus Juno Salonia,  
 Et urget ardentes puellas  
 Adgredier male tuta castra?  
  
 Late tenebris atrior incubat  
 Nox circum, et altus jam sopor occupat  
 Hostes fatigatos: quietis  
 Tuta quies dominatur arvis.

- 640      It feminarum lecta manus, comas  
          Dispersa longas, vestibis horridis  
          Obtecta, lymphatisque dextris  
          Igniferas agitata taedas.
- Inferna qualis turba Acherontidum  
          Erumpit orci faucibus intimis,  
          Bacchatur et passim per agros  
          Terrigenae metuenda genti ;
- Haud dissidentem sic per imaginem  
          Currunt furenti pectore feminae,  
650      Saevoque spectaculo repente  
          Excubias superant, fugantque.
- Invadit omnes terrificus pavor,  
          Honorque turbas exagitat recens,  
          Et daemnonum terrent nocentum  
          Visa truci simulacra vultu.
- Injecta longe flamma per arduas  
          Moles voraci corripit impete,  
          Vallumque comburens ad astra  
          Horrisonas agitavillas.
- 660      Confusa diris agmina ab ignibus  
          Ignara moestos ingeminant sonos ;  
          Et quisque confestim trementi  
          Arma manu, clipeosque sumunt.
- Portis reclusis protinus exilit  
          Miles secundo Marte Salonus,  
          Et castra pervadens sonanti  
          Miscet agens inimica ferro.
- Caedes cruentas caedibus insolens  
          Late ingruenti disseminat manu,  
670      Quaecunque turbatos fatigans  
          Romulidas, pavidosque longe

Campo repulsans: flamma voracior  
 Aut ensis hostes vulnere percutit;  
 Tristesque tolluntur fragores,  
 Horribilis loca cuncta strage


Complet ruina. Nocte sub horrida  
 Fusae phalanges diffugiunt procul,  
 Et castra, navalemque portum  
 Victor ovans penetrat, tenetque.

680 At sol cupitum duxit ubi diem  
 Nocturna clades cernitur undique:  
 Strages per ipsas arva faetent  
 Strata cadaveribus nefandis.

Et littus horret sanguine, et Adriae  
 Fluctus stupentis: Jader amabile  
 Immiscet undis, atque trunca  
 Membra virum, galeasque volvit.

Salona laetis plausibus insonat;  
 Pandit relati gaudia proelii,  
 690 Interque rumores faventes  
 Femineam recipit juventam.

Salve coruscans robore dextera  
 Et corde firmo turba Salonidum  
 Usque usque vel tardi nepotes  
 Magnanimum celebrent tropaeum.

 inerat carmen Petrus, sic inde locutus:  
 Vana superstitione passim, falsusque deorum  
 Invaserat cultus, nulla hic surgebat in urbe  
 Ara Deo Coeli, terraeque, marisque Supremo  
 700 Factori, summo qui dirigit omnia nutu:  
 Munere apostolico tunc has adcessit ad oras  
 Domnius (13) atque inter populos nova semina vitae  
 Effudit diraque fidem cum morte sacravit.

Scilicet en Templum cineres quod servat et ossa  
Summi Pastoris: tantum venerare Patronum.  
Accedunt pietate graves, pronique precantur.  
Tunc Petrus nitidam sacro chrismate frontem  
Ungit Anastiadis, divino flamine plenus,  
Haec cecinit radios veluti circum undique fundnes.

- 710 **S**alve qui tribuis munera gratiae  
Intacta omnigenae Spiritus intimis  
Fundens pectoribus mirificas opes  
Et flammis Cherubim novas,  
Dotes aethereas da Sapientiae  
Inuncto Capiti, pande iter arduum  
Noscendi illecebras, atque pericula  
Vitae inter scopulos truces.  
Dona difficilem consilii modum  
Virtutis niveae robor aeneum
- 720 Et rorem sophiae, sensaque candida,  
Et sanctum domini metum.  
Ibis impavidus bella per horrida  
Hac virtute potens, ignibus aestuans  
Laetanti rabiem pectore barbaram  
Spernesque invalidas minas.  
Te frustra rabidus pectine carnifex  
Ferrato laceret membraque torqueat.  
Exultes moriens fortior in Deo  
Tutus numine coelico.
- 730 Martyr conspicuus sanguine sis tuo  
Victorque aethereas Spiritus ad plagas  
Volabit referens gaudia coelitem  
Inter Virgineos choros.

**S**ic pulcher Christi generoso pectore Miles  
 Fulsit Anastiades: sanctam tum pacis ad aram  
 Hostia pura datur. Sumit libamina vitae  
 Attollens oculos juvenis, grandique nitore  
 Spiritus effulsit Christi cum corpore junctus.  
 Quae nova flamma rapit per apertas aetheris oras  
 740 Laetificam mentem? Jam fulgida regia coeli  
 Ante oculos illi, ridensque Artemia vultu  
 Angelicis immixta choris jam sistitur, atque  
 Magnanimos urget duro in certamine ad ausus.  
 Tum grates peragunt flexo cum poplite, et orant  
 Omnia pollentem rerumque hominumque Patronum.  
 Decedunt templo. Senior tum, conspice, dixit,  
 Hanc Urbem. Turpi vitiorum perdita coeno  
 Nunc etiam foetet. Caveas precor, optime, semper  
 Illa sequi: intactae teneas praecepta salutis.  
 750 Sanguine Christiadam maculatur, et undique clades  
 Cladibus ingeminat Diocles furibundus in urbe,  
 Et cives acuunt rabiem, stimulantque Tyrannum.  
 Vae miseris. Veniet nimium lacrymabile tempus  
 Ultrix ira Dei bellorum turbine perdet  
 Urbem cum populo. Solimae ceu rudera quondam  
 Dispersa, ante oculos se squallida sistit imago.

**E**rgone bellipotens istis surgebat in arvis,  
 Inque hoc deserto, pulchra Salona, loco? (14)  
 Quae quondam Illyricas jussu fraenaverat urbes,  
 760 Dalmaticasque oras rexerat imperio?  
 Et toties hostes debellatura superbos  
 Miserrat e portis agmina tanta suis,  
 Navibus et vento longinqua per aequora vectis  
 In patriam vitae commoda mille tulit?

- Ergo hic marmoreis olim sublata columnis  
 Magnorum hic aderant tot documenta Virŕim?  
 Hic et numinibus fumantia templa, sacraeque  
 Aedes, urbani grande decoris opus;  
 Compitaque, innumeraeque viae, fora vasta, theatra,  
 Turres et longo moenia celsa gyro?  
 770 Heu mihi quid superest tanto de nomine? quidque  
 Restat adhuc, ni quod signa doloris habet?  
 Siccine deperiit splendor, fastusque Salonae?  
 Siccine Dalmatici gloria prima soli?  
 Sic amplae cecidere domus et regia tecta,  
 Oppidaque et passim nobile quidquid erat?  
 Quo nunc discessit jactata potentia quondam,  
 Lataque pugnaci clara tropaea manu?  
 Quove magistratus cessit, Patresque verendi,  
 Et docti cives, artificumque cohors?  
 780 Quo nunc divitiae, quo nunc navalia, et ampli  
 Portus, et tutis ostia littoribus?  
 Omnia strata jacent, altis et tecta ruinis  
 Et late circum squallor et horror adest.  
 Saxorum cumulus, prostrataque rudera passim  
 Erutaque hos agros tot monumenta tegunt.  
 O dolor! O pietas! o virtus prisca parentum!  
 O carum nomen, grande decus Patriae!  
 Tempa ubi surgebant, atque alta palatia, tauri  
 Nunc et oves ipsae pascua tuta petunt.  
 790 Rusticus et cultor terram nunc scindit aratro,  
 Marmoreis ubi erant atria fornicibus.  
 Aut ubi plaudebant laetis spectacula scenis,  
 Ingeminat tristes nunc philomela sonos.  
 Sibilat et serpens inter dumeta, superbus  
 Ibat quo civis per fora, perque vias.  
 O sors infelix hominum, plorandaque casus  
 Conditio, omnigenis praeda jocusque malis!



- Ast tu, qui transis, gressus huc siste, viator,  
 Neve has reliquias pendere mente neges.  
 800 Sunt hae reliquiae, sunt haec excidia certe  
 Urbis honor veteris, conspicuusque decor.  
 Hos inter lapidum cumulos, atque eruta saxa  
 Cernent et pictas vivide imaginibus  
 Cellas, marmoreis et strata cubiela lapillis,  
 Commodaque aegrotis balnea corporibus :  
 Disjectos arcus, semesaque busta, nepotes,  
 Et vastas moles undique ponderibus  
 Dispersasque suis cernent, simulacraque trunca,  
 Mixtaque cum sculptis moenia marmoribus.  
 810 Et tunc saepe juvet tacitos errare per agros,  
 Hic ubi cum pupolo prisca Salona nitet ;  
 Balatu pecudum, pastorum et carmine tristi  
 Adflictas lacrymis irriguisse genas :  
 Atque e ruderibus mediis, saxisque sepultis  
 Detegere illyrici tot monumenta soli :  
 Insculptoque simul lapide, incisisque metallis  
 Cernere priscorum grandia gesta virum.  
 Saepe inter cineres, effossique ossa sepulcri  
 Inspectare juvet signa superba ducum :  
 820 Et legere in tumulis totum vulgata per orbem  
 Herculcae quondam fortia facta manus.  
 Utque gemens conjux, lacrymisque per ora solutis  
 Deferet sponsae fata inopina suae,  
 Ut rueret medios heros moriturus in hostes,  
 Rumperet infestas marte furente acies ;  
 Quas ferret leges magna gravitate senatus,  
 Et quae virtuti praemia clara daret ?  
 Qualia cum populis commercia opima tenerent,  
 Et quantas cives divitias veherent ?  
 830 Et possent auri pondus, virgasque politas  
 Olim e montanis fodere visceribus.

Tunc aliquis dicet, jucunda haec mente revolvens,  
Cui latices aperit docta Sophia suas ;  
Abdita et saeculorum effossa inter saxa videbit,  
Qualis honor patriae, gloria qualis erat,  
Cum turres priscae starent et templa Salonae,  
Altaque cum vastis moenia porticibus ;  
Ut tepidum in molles zephiros tunc iret Jader  
Luderet atque istis moenibus Adriaci  
840 Spumans unda maris : Nec certe nobilis Hospes  
Sollicito spernet tunc loca adire pede.  
Atque hic saepe silens multis spatiat in arvis  
Evolvensque piis rudera cum lacrymis  
Multa animo releget, veterum praegrandia discet  
Gesta Saloniadum, Dalmatiaeque decus.  
Hen ! Urbs infelix ! saxorum culmine, dicet,  
Pressa jaces, tantis condita ruderibus  
Majestasque decorque tuus post saecula longa  
Nominis antiqui grandia signa geret !



## Adnotationes.

---

1.

Diocles, Diocletianus e gente Valeria Salonitana. Natus est Diocleae oppidulo quod parum distaret Salonis. Antequam ad Imperium conscenderet, dicebatur Diocles; cum purpuram indueret, voluit appellari Diocletianus latino more, atque etiam Jovius. Cum vero imperio discessit, dictus iterum est Diocles. Ita Lactantius. Imperio cessit ann. 304 circ. Ann. 59 aetatis suae.

2.

Galerius, dictus Armentarius, Caesar a Diocletiano creatus est eo ipso die quo Constantius. Ita Lactantius c. 9 describit Galerium: „Inerat huic bestiae naturalis barbaries et feritas a Romano sanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus transdanuviana, infestantibus Carpis, in Daciam novam, transjecto amne, confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, status celsus, caro ingens, et in horrendam magnitudinem diffusa, et inflata. Denique et verbis, et actibus, et adspectu, terrori omnibus, ac formidini fuit.“

3.

Nicomedia Urbs Bithyniae celeberrima.

4.

Anastasius, Cubicularius Diocletiani, martyrium passus est Sirmii VI idib. Jan. an. inc. Farlat<sup>i</sup>. II. 444.

5.

Petrus I. Episc. Salonitanus quo tempore Diocletianus abjecto imperio in sua Aede privatam vitam degebat. Martyr fuit.

6.

Artemia filia Diocletiani et Serenae. Aetatis suae anno primo a doemone cum invaderetur, a Cyriaco diacono Romanae Ecclesiae liberatur, et inde sacro baptismate refecta Christi religionem am-

plectitur. Anno 13 aetatis a Maximino martyrio coronatur Virgo haec celeberrima, eo ipse die, quo Maximinus frater ejus adoptivus Imperium auguratur. Eo ipso die etiam Cyriacus post terribilissimos cruciatus capite plectitur.

## 7.

Maximianus Herculus Imperator et Augustus creatus ann. 287 a Diocletiano, cui erat similis. Ita enim Lactantius c. 8 „in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, aequa sententia..... „non ad bene faciendum sed ad male.“ Dicit voluit Herculus quasi Herculis filius. Romae Christianos vexavit, antequam se imperio abdicaret. Ad illud postea a filio Maxentio revocatus, iterum postea cessit imperio, et tandem tertio purpuram sumpsit. Constantino insidias molitus, apud Massiliam laqueo vitam finivit. *Farl. II. 407.*

## 8.

Maximinus vulgo Daja vel Daza dictus. Hunc Diocletianus adoptaverat filium. A Galerio avunculo Caesar creatus, se ipsum Romae Augustum adpellat post Diocletiani discessum. Post mortem Galerii assumpto imperio, terribilissime Christianos Romae divexavit. Tandem in Orientem profectus post pacem Christianis a Constantino concessam, nihilominus in Oriente Christianos dilacerans, a Licinio bello insectatus, Tarsi moritur. Ita Lactantius Cap. 49. „Sed „prius cibo se infersit, ac vino ingurgitavit... sic hausit venenum. Cuius „vis referto stomacho repressa, valere non potuit in praesens, „sed in languorem malum versum est pestilentiae similem, ut diutius „protracto spiritu cruciamenta sentiret.“

## 9.

S. Marcellus Papa regebat tempore persecutionis Diocletianae Ecclesiam. A Maximiano iumenta curare iussus, indutus amictu cilicino, martyr moritur.

## 10.

Lucina Matrona Romana pietate celeberrima, quae Christianos in carcere detentos alebat et solabatur tempore persecutionum,

Romae moritur sanctitate eminens die 30 Junii, vertente saeculo tertio, ac in crypta a se constructa sepelitur.

## 11.

Salonae Urbs ab Hillo filio Herculis fundata, hinc Hillis dicta. Antiquitus et peninsula inter Jadrum, et Tedanium, ac mare, dicebatur Hillidos, Hilline. Urbs Salonarum initio angustis limitibus circumscripta, post eversionem et excidium Delminii valde crevit, et tempore Romanorum Imperatorum occasum versus, triplici murorum ordine muniebatur, et hinc triplici autione crescebat. Urbs certe tunc maxime florere videbatur.

## 12.

Faeminarum Salonitarum facinus audaciae plenissimum, describitur apud Farl. I. 279. Pompejanae Classis Praefectus Octavius Salonas diu frustra oppugnavit. „Salonenses (ita Dio Cassius) ad extremum „una cum mulieribus erumpentes magnum facinus ediderunt. Mulieres „demissis capillis, vestitu nigro indutae, acceptis facibus, denique quam „maxime terribili habitu compositae, media nocte ad castra oppugnantium accesserunt, metuque exanimatis excubitoribus (quippe doemonum species illis exhibebant) omnibus simul locis castrorum ignem „injecerunt: eas subsecuti viri, multos eo tumultu excitatos, multos etiam dormientes occiderunt: ita et castra et stationem navium quam „Octavius habebat confestim occupavere.“

## 13.

S. Doimus vel Domnius S. Petri Apostolus, origine Syrus vertente anno 69 primi saeculi, primus Salonarum Episcopus, Ecclesiae Salonitanae fundator, et Dalmatiae Apostolus Martyrium subiit anno 104.

## 14.

Salonarum Urbs anno 539. capta et ferro ac igne vastata.

---

**LIBER SECUNDUS.**







Interea Christi Miles digressus ab Urbe  
Tecta petit Dioclis. Juvenili laetus in ore  
Pulcher Anastiades divino flamine plenus  
Optatoque inhians coelo, ceu mane sereno  
Sol nitidus Bebii surgit cum vertice montis  
Incedit placidus, nova munera corde volutans.  
Nam virtus, pietasque simul recreatque fovetque  
Internos animi motus, ad grandia dulcem  
Erigit et mentem, divinaque praemia poscit.  
Ipse viam calcat solus, collesque relinquit  
Hinc inde arboribus laetos, turresque propinquas  
Jam cernit, murosque altos, arcusque potentes.  
Ingreditur portum tacitus, plateamque decoram  
Adspicit atque dolens spernit simulacra Deorum.  
Jam Dioclem obsequio spectat, longamque salutem  
Augurat, at temnit rabiem, vultumque minacem.  
Caesareo orbatus sceptro, frontisque corona  
Ipse (') hortos recolit, terram partitur, et altis  
Sepibus obcludit circum, rastroque reformat.  
Semina tum mittit, spargit tum fluminis unda,  
Foecundum transponit olus rapasque tenaces,  
Lactucasque albas. Gaudet longo ordine poma  
Ponere cum ficis, vites oleasque virentes,  
Insertit atque piros, nucibus tum persica jungit.  
His super interdum sylvam quae proxima frondet  
Adscendit; lepores timidos, multisque capellas  
Insequitur canibus, telisque et cuspide longo  
Percutit, optatam referens cum carmine praedam.  
At frustra menti quaerit solamina, dirus



- 30 Quem dolor excruciat penitus, torquetque malorum  
 Conscia saevities ; cordi nulla otia donat.  
 Ac veluti clades inter, crebrasque rapinas  
 Qui vitam degit latro, formidine pressus  
 Vindictam metuit, flammataque fulmina coeli,  
 Hinc tristes horas, longa formidine ducit  
 Insomnesque trahit noctes tristissima vitae  
 Tempora saepe suo tacitus sub corde volutans.  
 Interea Petrus veteri discessus ab urbe  
 Visit Anastiadem. Juvenis laetissimus ore
- 40 Excipit Ipse Senem, dein illi fausta precatus :  
 Alme Pater, dixit : vidisti Principis unquam  
 Hanc (²) Sedem grandi et palatia splendida luxu?  
 Hic nempe fastus, vanaeque superbia pompae  
 Atque omnis cultus romano more coruscat.  
 Ista domus Dioclis : pulchro stant ordine circum  
 Caesarea perculsa mano viridaria, et horti.  
 Alme Pater, spectare domum cupis, aurea tecta?  
 Me sequere. Est animus subito tibi cuncta notare.  
 Ecce Domus (³) celsis surgens cum molibus adstat
- 50 Pulchra, ingens visu. Veteri qui venit ab urbe  
 Prospectans longe turres (⁴) jam cernit utrasque  
 Quae muros claudunt hinc, hinc munimine cingunt.  
 Has inter numero similes sed mole minores  
 Muros jam superant aliae, belleque decorant.  
 Conspice qui circum pulchro cum forcipe perstant  
 Arcus marmorei, (⁵) lux queis tum plurima passim  
 Immitti gaudet recreatque aulaea colore  
 Fulgida purpureo vastas cingentia Sedes.  
 Quae species visu ! gradienti quanta voluptas !
- 60 Quis decor ingenti spatio formaque superbus  
 Adspicitur late circum ? Spectanda videbis.  
 Aurea (⁶) porta patet : Nomen tibi denotat istud  
 Nobile quid referat, vel quid mirabile pompa ?

Junguntur lapides lecti, nexuque cavato  
Adstant connexi et valido cum pondere utrimque  
Arte laboratum acri sustentare fatigant  
Fulcimen. Loculis quatuor simulacra superne  
Exurgunt separata pilis, pompamque ministrant.  
Ingresso portam via lecto e marmore strata  
70 Ecce datur, rectoque forum cum tramite monstrat.  
Hinc inde en vasta decoratur porta corona  
Porticibusque suis, species pulcherrima visu!  
Cursuque omne latus pari finitur ubique.  
Porta (?) hac auriferi spectat de vertice montis  
Surgentes Solis radios, et prospicit illa  
Oceano mersos. Ridenti in vertice collis  
Haud aliter gaudet foecundos cernere campos  
Agricola et messes flavas oleasque virentes :  
Vel pastor pecudes late per prata vagantes  
80 Ut gestit vastos circum spatiator ad arcus  
Immensum quoties pelagus prospectat, et altos  
Arboribus montes densis, scopulosque sonantes  
Ventorum fremitu, jactatasque undique circum  
Undarum pulsu terras, orasque, sinusque.  
Hinc juvat ornatus et commoda noscere et omnes  
Porticibus junctos colles, quadrumque theatrum (8)  
Solis ad occasum structis qua porta superbit  
Fornicibus, monstratque altas sub tegmine sedes.  
Adspice ut a dextra surgunt palatia parte ?  
90 Haec subeas, oro. Cernis quae porticus illa  
Nobilis adcingit circum ? Domus ista (9) ministros  
Colligit, et famulis secreta cubicula praebet.  
Jussa ferunt Dioclis, mandataque dira facessunt.  
Quae rabies oculis rutilat, quae pectore in imo  
Saevities furibunda fremit, malesuada malorum  
Improbitas quoties fatalis fertur in ipsos  
Christiadas, foedari insonti sanguine gaudens.  
Tum Senior, dixit, lacrymis super ora solutis :

**P**roh stirps remotis educata rupibus  
 100 Nutrita lacte tigridis saevissimae,  
 Atque innocentum saepe pota sanguinem  
 Quae promis impie ferox nequissimos  
 Dolos furenti tetricoque Principi!  
 Ut jussa gaudes feritatis horridae  
 Dextra cruenta, perfidoque pectore  
 In immerentes exequi Christi greges?  
 Quales malorum immaniumque vulnerum  
 Parare poenas, explicare plurimas  
 Caedes peroptas, et cruore spargier?  
 110 Quales calumnias iniquo crimine  
 Miscere quaeris, excitasque Caesarem  
 Turpes ad iras, ultionem luridam?  
 Ast justa praeceps fulminantis Numinis  
 Vindicta stridet, impiosque dissipat.

**P**atur Anastiades, sed nunc, Sanctissime, cerne  
 Quanta domus, saevos quam pulchra ministros  
 Excipiat, genus injustum ad mala cuncta paratum.  
 Adspice quae circum lecto de marmore sedem  
 120 Porticus exornat. Stant vasta cubicula passim  
 Interius, munita armis, pulchro ordine fulgent.  
 Parte alia, forma simili, Ginicaea nitescent.  
 Porticibus decorata suis. Loca fulgida praebent  
 Foeminae sedes turbae, queis sumere somnum  
 Instruere et dapibus mensas, et ducere pensa.  
 Hinc aliae lanasque parant, et volvere fusos  
 Usque agiles rutilo digitos cum tegmine quaerunt,  
 Hinc filis aliae lectos vel murice tingunt,  
 Vel jungunt aliae tinctos, varioque colore  
 Componunt pariter, retrahuntque volumina, et orbes.  
 130 Ast aliae texunt deductis stamina filis

Inscribunt flores varios, plantasque virentes  
 Atque feras, volucresque simul, stellasque coruscas  
 Templaque cum domibus, navesque per aequora jactas  
 Armatosque viros truculenta ad proelia missos.  
 Adspicis obtectas Persarum (10) veste nitentes  
 Aurato peplo sponsas, tristesque puellas  
 Stragula textentes patrioque e more tapetes.  
 Proh quod opus gemmis varioque colore coruscans!  
 Amplexu Regum patrioque extorris ab urbe,  
 140 Cogitur ista cohors captivam ducere vitam.  
 Ingemit hic Petrus, commoto et pectore clamat.

**P**ropter impiae sonantes Babilonis gurgites  
 Sic gemebant exulantes Salamonis filiae  
 Colla vineta pertrahentes per labores plurimos.  
 O propago ditiorum lacrymanda Principum  
 Qui suis tot nationes recreabant legibus.  
 Ergo tractas pensa dura, colligatis frontibus?  
 Jamque longe pervetustis Susiorum moenibus  
 Regia longe superba, patriaque splendida  
 150 Laneas parare vestes et tapetes texere  
 Huic tyranno saevienti cogaris miserrima?  
 Quae nefanda barbararum gentium crudelitas!  
 Inter hostes ense victos foeminas deducere  
 Et catenis usque vinctas ferre foeda munera!  
 At beata plena amoris, plena pacis coelicae  
 Sancta Christi lex cupita, jura tollet perfida  
 Impiosque curat usus dissipare Caesarum  
 Bella pulsat clade dira, bella sparsa sanguine  
 Excipitque dulciori mater hostes pectore.

160 **Q**uae luxur species recensque pompa  
 Has angit miseras premit fatigat

Auro multiplici, simulque filis  
 Sericis decorare molliores  
 Vestes, stragula, divites tapetas?  
 Vanitas hominum nimis caduca!  
 Mores Romulidum nimis nocentes!  
 Qui posset facili referre versu  
 Formas omnigenas novas nitentes  
 Queis ornare solent superbiores  
 170 Matronae caput aureis coronis  
 Gemmis colla, nitentibus lapillis,  
 Corpus vestibus elegantiori  
 Intextis modulo maloque ritu.  
 Proh sodes fuge perditos malignos  
 Hos usus hominum reasque pompas,  
 Et mores fuge, sperne turpiores  
 Vanas illecebras fugacis orbis  
 Hostis tartarei dolos nefandos.

180 **L**audat Anastiades salubria dicta, sed istinc  
 Egrediamur ait; cernis quae nobile callis  
 Ducat ad usque Forum ("); grandi quo mole columna  
 Aere gerit fusas statuas. Quam sceptrā tenentem  
 Lata manu spectas, Dioclem sub imagine fingit  
 Dum vastum diro fraenat moderamine mundum.  
 Heu nimium felix, rectae sapientia mentis  
 Si fors persuasit deponere fronte coronam.  
 Virtus digna quidem merito; sed tristis et ingens  
 Formido abjecit mentem, mersitque profundo  
 Curarum pelago; vel nunc quoque torquet et angit  
 190 Inter delicias, tranquillaque dona vireti.  
 Parte alia surgens simili cum pondere pila  
 Hercullii effigiem monstrat. Teterimus olli  
 Conspectus, fera frons; oculi ceu fulgura lucent  
 Horrisonamque notant rabiem, quaeritque cruorem

Os hominum, caedesque truces. Vel dextera monstrat  
 Impia jussa necis. Vindex sed Numinis ira  
 Jam ruit, et perdet crudeli morte tyrannum.  
 Conspice et has quae stant Lybico de monte columnae  
 Hinc atque inde novem pulchro cum fornice et omnem  
 200 Porticibus decorant seriem: tolluntur ad auras  
 Prospectu ingenti, nova dant signa laboris et artis  
 Qua grave Propileum nitido de marmore surgit  
 Quatuor innixum pilis. Quae nobilis extat  
 Majestas arcus, atque inclitus ordo coronae?  
 Et Sphinges spectes hominis quae brachia monstrat,  
 Et quae praemonstrat rictus unguesque leonis.  
 Limina tutantur vigiles. Aegyptia tellus  
 Has dedit, et veteres monumenta haec grandia Thebae  
 Misere. At Petrus miranti lumine circum  
 210 Omnia perlustrans grandi sic carmine fatur:

**E**ja ingruenti percitus impete  
 Cito volatu quo volueris feror?  
 Quae me stupescentem repente  
 Regna tenent, populique, et urbes.

Salve Canopi fertilis insula  
 Quondam prophanae fons sapientiae  
 Tellus per antiquos Tyrannos  
 Fatidico recreata Nilo!

220 Quae mi laboris grandia ahaenei  
 Portenta passim, munera et ingeni  
 Sistuntur audacique structa  
 Artificum monumenta dextra?

Cavata saxo cernere Meridos  
 En stagna lactor, mentis opus grave,  
 Cum grana camporum per aequor  
 Fertilior cumularet unda.

- Hac parte lecto cernere marmore  
 Lactor superbas arte Piramides  
 Et vasta per centum recessus  
 230                   Daedaliae loca tecta Sedis :
- Parte hac ad instar montis et ardui  
 Videre Sphingem vertice maximo,  
 Vel inter ungues colligentem  
                   Aediculam nitidam Tonantis.
- Et Templa vasto condita fornice  
 Supra columnam stantia, et arduos  
 Longum per accessum scalarum  
                   Cum plateis domibusque muros.
- In aere fusam solis imaginem  
 240                   Spectare grandi prodigio juvat,  
                   Quae mane surgentes referret  
                   Blandisono radios canore.
- Thebana portis moenia cum suis  
 Et templa vastis arcibus edita ;  
 Post soecla disjectas ruinas  
                   Attonitus reteget viator.
- Sepulcra Regum monte sub intimo  
 Cavata, cellas, atria, tramites,  
 Quae monstret aetati remotae  
 250                   Vir Patavi (<sup>12</sup>) veniens ab urbe.
- Ignota stabunt carmina mistica  
 Et scripta formis mira latentibus,  
 Ast Gallus <sup>13</sup>) agnoscet, legetque  
                   Fulmineo minitandus ense.
- Salve superbis natio molibus  
 Miranda tardis usque nepotibus  
 Salve gigantaeos per ausus  
                   Gens profugum memoranda in aevum !

- L**audat Anastiades, Senior venerande, sed omnes  
 260 Quos circum spectas arcus, pulchrasque columnas,  
 Thebarum excidio ereptas, vastumque per aequor  
 Huc dicunt vectas. Sed nunc venientibus adstat  
 Nobile vestibulum (1\*) grandi cum fornice, formam  
 Interius cicli praestans, quadrique superne.  
 Quattuor in cellis vigiles adstare rotundis  
 Usque solent, oculis pulchro dein ordine factis  
 Hinc simulacra sedent nitido de marmore sculpta :  
 Aenotrius Janus, Saturnus saecula perdens,  
 Harpocrates tacitus; Genius simul arbiter Aedis.  
 270 Porta patet monstratque arcus, atque atria (1\*) longa.  
 Hinc inde undenae, vasta cum mole, columnae  
 Sustentant ingens caeso cum fornice culmen.  
 Quae species operisque decus quae regia passim  
 Adstat majestas? Dioclis domus ista superbi.  
 Sunt dextra, laevaue cubicla nitentia luxu:  
 Haec habitat Dominus felix, ut temporis usus  
 Vult, poscitque simul languentis cura salutis  
 Et iussum vitae regimen: cum pulchrior aestas  
 Adridet, laetus surgentem cernere solem  
 280 Ipse cupit, cellasque tenet, quo vespere in undas  
 Mergitur occiduas; hiemis cum squallida venit  
 Tempestat, loca grata fovet. Longa atria (1\*) cingunt  
 Aulae porticibus similes cingentibus aedem,  
 Hic dulces sonuere suo modulamine cantus,  
 Scenicus adsurgit ludus, risusque theatri;  
 Hic festus celebratur honos, moresque, modique  
 Visere queis Dioclem datur et bona verba precari.  
 Tum Senior clamat tollens suspiria corde:

- T**heatra sperne, scenicasque imagines.  
 290 Proh quae libido turpis hic et insolens  
 Cor innocentum foedat, angit, enecat



Nefanda menti porrigens phantasmata  
 Mores ocellis dictitans turpissimos;  
 Ut histriones inter altos canticos  
 Verbis jocosis, et figuris turpibus  
 Malos amorum praedicant casus, dolos.  
 Passim comoedi belluarum pellibus  
 Tecti, vel elegantibus cum vestibus  
 Sistuntur, illicoque luridam  
 300 Scenam reformant indecoris saltibus.  
 Quin corrigunt mores malignos civium,  
 Pravos adumbrant cum secundis plausibus.  
 Hanc sperne turbam, viliorum pessimam,  
 Ludos jocosque turpiores effuge.  
 Actus nocentes horridi spectaculi,  
 Irae, furoris, vindicisque pectoris  
 Cladem, cruorem, et inferentis vulnera  
 Proh sperne abhorrens, et pavescens effuge.  
 Semper comoedos blandientes despice,  
 310 Semper tragoedos sperne tu teterrimos.

**D**icta probat Juvenis: sed sustentare columnae  
 Vix possunt aulas toto cum pondere tecti:  
 Hinc penetrare datur spatio quae clausa minori  
 Bina loca adsurgunt. Quam cernis, cella Corinthi (17)  
 Dicitur et Graeae formas imitarier urbis  
 Hic licet, ornatusque omnes, victusque dapesque  
 Et luxus pompam et dulcis modulamina cantus.  
 Stant lecti circum, Graecorum more parati,  
 Effulgent mensae pretiosaque vasa rubescunt.  
 320 Quam nunc ingrederis, Cyzici grandis ab urbe  
 Nomen habet, sequiturque modos, luxumque superbum,  
 Quem gentes Asiae vastas refovere per oras  
 Usque solent, opibusque nitent facilisque redundant

Omnigenis terrae donis coelique, marisque.  
 Quid non absumit demens luxuria, et ingens  
 Ingluvies ventris potusque insana lubido?

- Q** genus infelix hominum sic tristia quaeris  
 Perniciemque paras, sollicitasque necem?  
 Romulidae toto natio celeberrima in orbe  
 330       Ob tot victrici lata trophaea manu:  
 Quo virtus armorum abiit, quo gloria famae,  
       Quove ruunt raptae divitiae populis?  
 Coenarum ingluvies gemmas absumit et aurum,  
       Omnia mensarum sumptus et ipse vorat.  
 Usque dapes raras peregrinis quaerite ab oris  
       Et bibite auratis extera vina scyphis:  
 Nempe lucrosas volucres huc Africa mittit,  
       Atque Asia unguentis mittit aroma suis.  
 Et mare quod tumidos miscet late undique fluctus  
 340       Huc mittit pisces, ostrea cum lepade.  
 His dapibus miseri stomachum ventremque gravate  
       Quae possunt magnas perdere divitias.  
 Vinaque libantes grandi contendite concha,  
       Dulcius et quidquid Graia terra tulit.  
 Balsamicae nubes modico volvuntur ab igne  
       Atque odor adperso funditur usque solo:  
 At saltus scurrae ducunt Nymphaeque choreas,  
       Et tollunt dulces timpana pulsa sonos.  
 Sternitur ecce dapum satiatum pondere corpus;  
 350       Mens rapta ardenti perditur ipsa mero,  
 Pharmaca tum stomachum relevant; quid foedius usquam?  
       Cum male digestis prandia foeda vomunt.  
 O demens hominum luxus, causa una ruinae!  
       O stulta ingluvies, funera certa parans!

- H**is descende precor gradibus, tum balnea (<sup>18</sup>) cernes.  
 Ista juvant arte, dant commoda summa saluti  
 Et nitidos donant artus : sed corpora in unda  
 Emundare negant, tenui nisi ludere motu  
 Et faciles agitare manus prius inter amicos  
 360 Hi studeant, aulamque vides ad munera ludi  
 Quam dicunt ; tepido quae jungitur ista calore  
 Aeriique tenet nomen nota pallia servat.  
 Quae loca nunc calcas, haec sphaeristeria dicunt :  
 Hic etiam pallae lusus jam membra fatigat  
 Jam lassas reddit vires. Stat cella superne :  
 Illa vaporiferos densae caliginis instar  
 Colligit humores, facilesque effundit in omnes  
 Sudoris guttas ; calidis haec balnea lymphis  
 Cetera frigidulo recreant cum flamine lotos.  
 370 Adspicis hunc veluti puteum (<sup>20</sup>), quem saxa recludunt  
 Vasta nimis circum ? Jadri deducitur amne  
 Haec aqua ; et exundans varios servatur ad usus.  
 Hanc quoque fac videas cellam (<sup>21</sup>) : ne frigore ab ipso  
 Laedantur loti subito, moderamine eodem  
 Temperieque frui simili juvat. Aurea perstant  
 His prope purpureo velamine vasta cubiela (<sup>22</sup>),  
 Quis Dioclis tentat somno sua membra levare :  
 Argento similis fert pulvinaria lectus,  
 Picturisque nitet circum variisque figuris  
 380 Quaeque suo paries latere. Haud procul ecce refulgens  
 Porticus exurgit, pulchro cum fornice monstrat  
 Aediculam (<sup>23</sup>), medicae summo in qua tollitur artis  
 Ara Deo : qualis majestas splendet in ausu ?  
 Atria consurgunt lybicus sublata columnis.  
 Liminibus vastis grandi cum pondere porta  
 Praebet epistilium lecta praegradius arte.  
 Fulcimen quadri lapidesque ligamine juncti

- Efficiunt, nimioque labore nitentius intus :  
 Insculptaeque simul coronae omnia cingunt  
 390 Romanosque modos gustumque ostendere certant.  
 Numinis effigies adstat nitido aere coruscans  
 Aedicula in media. Semoto exire recessu  
 Adspice serpentem longo volumine, ut alte  
 Extollit caput horrendum, linguamque trisulcam,  
 Exagitansque oculos reptans dat sibila crebra,  
 Conscenditque aram, statuam superare fatigat  
 Fulgentemque Dei faciem. Timor illico cogit  
 Tentantem ruere in praeceps, atque ore venenum  
 Lambere diffusum frustra. Tum pectore fervens  
 400 Et portentiferae reserans prodigia mentis  
 Grandia voce canit Petrus; fert grandia voltu.



uae mihi rerum species recentum  
 Sistitur cultum removens nefandum?  
 Cuncta pollentis video corusca  
 Munera dextrae.

Scilicet foedum simulacrum et ara  
 Corruit turpi maculata casu;  
 Moxque nigranti trepidans recessu  
 Effugit anguis.

- 410 Desilit summo rutilans ab axe  
 Fulgor, et manans tenues per auras  
 Illico templum radiante circum  
 Lumine replet.

Grande vas lecto lapide excavatum  
 Tollitur signum referens cupitum,  
 Sculpta Crux adstat tribuens beatae  
 Pignora vitae.

- Vox sacerdotis sacra verba profert.  
 Sale conditas oleoque inunctas  
 420 Mundat has undas, mala pellit hostis  
       Damna maligni.  
 Spiritus virtus veniens Superni  
 Labitur, culpa maculas repurgat  
 Quippe Jordanus fluitans recepit  
       Nobile donum.  
 Excipit Jesus peragrans ad oras  
 Cum cupit sanctos retulisse fontes  
 Corporis tactu, laticesque donat  
       Flamine dio.  
 430 Turba florentum juvenum, senumque  
 Et puellarum properat sacratum  
 Semper ad fontem, recipit beatæ  
       Munera pacis.  
 Scilicet cordis maculas lavacro  
 Quisque depurgat nova dona sumens,  
 Sedis optatæ superum notatur  
       Inter alumnos.  
 Coelicae vitæ dator innocentum  
 Alme fons salve, veneranda et aedes!  
 440 Splendor en major decorat vetustæ  
       Culmina pompæ.  
 Enitet templum memorans Joannis  
 Nomen, exurgit recolenda semper  
 Ara commendans monumenta cunctos  
       Grandia in annos.

**I**nterea redeunt ad prisca cubicula Regis.  
 Tum Juvenis, sodes, ait, illa parte repostas  
 En scalas cochleæ similes: descendimus istis.

- Hae autem secretis tacitisque recessibus omnem  
 450 Percurrunt aedem subter, pilaeque reductae  
 Hinc atque hinc arcus magno cum pondere grandes  
 Sustentare valent: longa cum calle meatus  
 Panduntur, tectique trahunt, qua singula circum  
 Turris ad omne latus surgit, monstratque latebras.  
 Hinc maris Adriaci littus peramabile laetos  
 Conspectus offert gradienti: ut pulchrior aedes (24)  
 Hac parte adspicitur! Denae jam quinque columnae  
 Coniuncto ex lapide injectas cum fornice sculpta  
 Sustinere coronas et simul addere toti  
 460 Grande decus domui quaerunt; qua porticus omnis  
 Prospectum extendit late, qua summus in axe  
 Sol radians signat medii sua tempora cursus.  
 Spumeus hic fluctus perflat cum ventus ab austro  
 Rumpitur, evolvensque imas immittit arenas.  
 Huc naves properant, cursu maria alta secantes  
 Exonerant merces, celeri cum remige cymbae  
 Saepius accedunt faciles, gens appulit oris.  
 Extremas versus turres, bipatientibus adstant  
 Arcubus ingentes portae, totamque decorant  
 470 Porticibus faciem tectis, loca dulcia eunti.  
 Candida consurgunt supra simulacra (25) Quiritum  
 Qui bello celebres claros retulere triumphos.  
 Tullus Marte ferox: grandes in pectore sensus  
 Usque fovens Ancus: memorata ad munera lectus  
 Tarquinius senior: cincti diademate frontem  
 Hinc inde Heroes patria cum lege Senatus  
 Quos coluit. Nomen totum volgare per orbem  
 His licuit. Brutus cognati sanguinis hostis:  
 Ense Camillus atrox: crudeli morte superbus  
 480 Regulus: et Fabius pugnae cunctator: et ardens  
 Marcellus, Liviusque sagax. Duo fulmina belli  
 Scipiades: Paulusque vehens praegrandia curru

- Munera grajugentim : praedas aurumque Lucullus  
 Adcumulans Asiae : Pompejus funere flendus :  
 Et Caesar lauro cinctus : nitidaque corona  
 Augustus fulgens : acie Germanicus ipsa  
 Clarior, ast omnes augusto sanguine creti.  
 Titus amor patriae, toto celeberrimus orbe :  
 Caesareique duces regalia sceptrata tenentes.  
 490 Quae rerum species ? nova quae spectacula scenae ?  
 Ast ascende precor, sancta venerande senecta,  
 Ferrea porta (26) patet : cochleae pars altera sursum  
 Qua gradibus ducit summas conscendere cellas.  
 Incolit has sedes Diocles, cum floribus aestas  
 Exornat late campos, et flamine dulci  
 Eurus permulcet jucundas leniter undas.  
 Qualis adest oculis prospectus utrimque tuentis,  
 Vel mare velivolum videat, scopulosque remotos  
 Messibus aut flavos agros, oleaque virentes !  
 500 Porticus hic spectat surgentis lumina Solis,  
 Quo juga protendit mons Aureus, altaque monstrat  
 Culmina cum sylvis Bebiusque, et saxea terga  
 Albius, arctoi quassatus turbine venti.  
 Arboreas inter plantas olusque virentes  
 Hortus jucundos subter diffundit odores,  
 Hortus delictum Dioclis, sua grata voluptas.  
 Ut gaudet quoties flores ipse inter et herbas  
 Ambulat ! Ut felix placidusque et fronte serenus  
 Adridet ! sed cor curis vexatur acerbis,  
 510 Cladibus ingeminat curas, tristesque dolores,  
 Conscia mens scelerum torquet sibi viscera et angit :  
 Vana quies vultu frustra bella intima pellit.  
 Altera quam premimus nunc porticus imminet orae,  
 Brachiaque ostendit colles, et florida Olynto :  
 Longa Pharus dives pecorum, vel fertilis Issa.  
 Quo caput occiduis nubeum submittit in undis.

Mons surgit propior nemoroso vertice lectus  
 Venatu recreat dominum. Quo plurima circum  
 Porticus angustis nitet arcubus altaque praebet  
 520 Quatuor in partes constructa sedilia, cernis  
 Amphiteatra trucis quae dant spectacula belli.  
 Ingentes crates solidis ubicumque coronis  
 Tolluntur: quoties recluso carcere vidi  
 Immanesque feras rictu contendere et ungue,  
 Atque homines nudos foedari sanguine et ipsos  
 Christiadas laceris membris occumbere morti.  
 Ingemuit Senior, lacrimans et talia fatur:

Quo mens furore vestra gaudet pertrahi  
 Viri fugaces stultiores perdit!

530 Non bella dira, nec malorum plurima  
 Cohors valebunt sat necis, sat funeris  
 Inferre flenda toto in orbe gentibus?  
 Cruenta pax erit, cruenta dulcior  
 Erit voluptas? scilicet spectacula  
 Cruore foeda, tristibusque cladibus  
 Vos expetito recreant solamine!  
 Quot corda nata motibus mitissimis  
 Ludos cruentos saepe cum perspexerint  
 Furore plena concupiscunt sanguinem?

540 Humana mens turpi malo proclivior  
 In pejus usque volvitur citissima,  
 Viam recludit pectori crudelitas,  
 Visu feroci, perditoque lumine.  
 Quo stulte curris se necantes cernere  
 Servos furentibus scelestisque ictibus,  
 Vel dissecari belluarum morsibus  
 Dirisque tigridum leonumque unguibus?  
 Dulcedo amara vel voluptas effera



550           Rapit cruenta perditum cupidine  
               Sopore sicut obvolutum Stygio.  
               Haec sperne velox, effuge haec spectacula!

**A**nnuit his Juvenis; commotus pectore fatur:  
 Porticus ecce nitet; septem spectare trionem  
 Unde datur: montesque simul, longasque Salonas,  
 Moeniaque Andrecii subjectaque littora late  
 Caprario, et spumans rabidis aquilonibus aequor,  
 Ast propera: Templi <sup>(27)</sup> lucentia culmina cernis.  
 Hoc subiisse juvat. Pulchroque ex marmore stratum  
 Ecce forum premimus pedibus. Jam nobile surgit  
 560       Marmoreis gradibus Templum. Pulchro ordine circum  
 Sex cum ter denis Lybico de monte columnae  
 Arte laboratas grandi cum mole coronas  
 Sustentant, supraque jacent perstrata resecto  
 Ex lapide: insculptis basibus simulacra Deorum  
 Stant, decorantque simul tutantur et omine certo  
 Usque domum. Fallax Superum Regina Tonantis  
 Et soror et uxor; Sophiae dilecta Minerva:  
 Flava Ceres spicis, diris Mars horridus armis.  
 Blanditiis Venus alma suis, atque aliger ipsis  
 570       Mercurius pedibus; quassans ex aere Tridentem  
 Neptunus pelagi domitor; Vulcanus et ardens  
 Pieridum socius, cantusque suasor Apollo;  
 Hinc Musae surgunt forma speciei que nitentes;  
 Hercules attollens clavam, Bacchusque rubescens,  
 Et Pluto, et Genius grandi virtute gubernans  
 Romulidum imperium; tum conditor ipse Quirinus  
 Ceteraque insipiens quae gens sibi numina dicit.  
 Quam speciem praestat, majestatemque coruscam  
 Grande Peristilium statuis, pulcraque corona  
 580       Praeingens Templum? Eois ut surgit ab undis

- Sol rutilans radiis, roseo fulgore decorus ;  
 Sic sacra tanta inter monumenta extollitur Aedes.  
 Ordinis integritas recti, sapiensque venustas  
 Ingeniique nitens summis cum partibus ardor,  
 Caraque simplicitas rerum simul undique fulget.  
 Porta suis injecta pilis, subjecta coronae  
 Ingenti, variis quas ars bene sculpta decorat  
 Floribus, ecce patet ducto cum cardine, et omnes  
 Ostendit species operis. Jam nobile Templum  
 590 Porrigit octonas facies, spectantibus aptis  
 Conjunctas saxis ; ratio quae certa praecidit  
 Mensura simili, modica et cum calce ligavit.  
 Sed sacram subiisse domum juvat. Emicat intus  
 Coelica majestas. Summo de vertice lumen  
 Descendit radians, medias et percudit aras.  
 Illac nubiferus cum victima ab igne crematur,  
 Evolat ad coelum fumus revolutaque thuris  
 Caligo incensi, gratosque effundit odores.  
 Aspice quas nuper tellus Aegyptia misit  
 600 Hasce columnarum moles. Stant octo ferentes  
 Florideum epistilium totidem supraque minores  
 Arte laboratas pretioso e marmore ductas :  
 En simulacra vides hinc inde adstantia, formae  
 Apta Gigantaeae : illis est custodia Templi.  
 Jupiter iste Tonans : nemorum illa est candida cultrix :  
 Insculpti circum Bacchantum more notantur  
 Ludentes chori, incincti tempora sertis  
 Et nemorum Nymphae pulsantes tympana dextra  
 Ducentesque leves saltus, tenerosque triumphos.  
 610 Instar squamarum testudo tota coruscat  
 Vasti opus ingenii, grandi molimine tectum  
 Sustentat nitidum varias firmatque figuras :  
 Titanides bello victi, subitoque sepulti  
 Mortibus injectis ; flammam ex ore vomentem

Aetna tegit vasto Poliphemum corpore, et usque  
 Vultur Promethei jecur immortale cruentat  
 Vertice Caucaseo. Summa vi Sisiphus ingens  
 Saxum urget; praeceps rapido ruit impete monte.  
 Orpheus auritas silvas, montesque sequaces  
 620 Blandisona ducit cythara, lacrymansque fugacem  
 Respicit Euridicem: cernes tum cetera demens  
 Quae plebs effinxit. Qua majestate decorum  
 Numen adest, cultuque suo, simul ore verendum?  
 Hos loculos circum dilecta cubicula dicunt  
 Illius, hic stultae capiunt oracula gentes.  
 Callibus obtectis, nigranti nocte, ministri  
 Accedunt, responsa ferunt, incertaque dicta,  
 Queis dat credulitas demens certissima sensa.  
 Proh genus infelix hominum, vereque dolendum  
 630 Aeternum spectate Deum, agnoscite cultum,  
 Discite et aetherae venerari dogmata legis.  
 Hisce dedit lacrimas Senior: tum laetior ore  
 Fata legens animo, venturaque mente revolvens  
 Sint grates, inquit, Factori ante omnia mundi  
 Christiadamque Deo, qui tam dementia nostris  
 Cordibus eripuit, tenebrasque removit et omnem  
 Errorum seriem, reserans nova lumina Coeli  
 Christus ubi infernos pede pressit ovante triumphos.  
 Quali luce nitet Templum? Hoc subit ecce Joannes (20)  
 640 Italicis veniens oris. Ipse omnia circum  
 Conspicit, atque oculos flammato pectore tollens  
 Voce sonat grandi, simulacrum informe deorum  
 Corruit extemplo: trepidi fugiere ministri  
 Abditi et horrifico strepitu sonuere recessus.  
 Lux coeli effulget; bonitas et Numinis usque  
 Enitet hic, Sanctique augusta extollitur ara.  
 Ponitur et Cathedrae solium venerabile in annos:  
 Is primus sedet Spalati memorabilis Auctor,

- Et Domni cineres lectos, atque ossa reponit  
 650 Integra Anastasii. Proh quae miracula cerno  
 Vulgari ante aras praedulce levamen egentum !  
 Aspice nunc seriem longam labentibus annis  
 Pontificum, teneant qui sedem summaque dona  
 Doctrinae intactae, cordisque ad grandia nati  
 In populum effundant faciles, virtute magistra.  
 Justinus <sup>(29)</sup> jam purgat aqua, qui foeda Naronae  
 Arva colunt. Primas decoratur honore Joannes <sup>(30)</sup>  
 Dalmaticos ultra fines. Incedere vidit  
 Victrices Venetum naves prope littora Petrus <sup>(31)</sup>;  
 660 Mores informat Laurentius <sup>(32)</sup>. Hostis honorum  
 En silvas inter vitam Crescentius <sup>(33)</sup> egit,  
 Purpureo Albertus <sup>(34)</sup> sapiens vestitur amictu.  
 Eloquio grandis, sanctis virtutibus ingens  
 Nimbo saxorum moritur Rainerius <sup>(35)</sup>, optans  
 Carnificum veniam. Praefert Crucis inelyta Petrus <sup>(36)</sup>  
 Munera. Bernardus <sup>(37)</sup> forti sermone fatigat  
 Usque hostes; Bellae sociali foedere summos  
 Hugrinus <sup>(38)</sup> Patriae dat opes : Rogerius <sup>(39)</sup> adstat  
 Funeribus Thomae moerens : Venerabile Romae  
 670 Concilium Patres inter pervisere gaudet  
 Zannius <sup>(40)</sup> : Intactum fulgens te purpura vestit  
 Corneli <sup>(41)</sup>. Solium linqvens quae dogmata fundis  
 Antonî <sup>(42)</sup> infelix ! Turrim Ponzonius <sup>(43)</sup> ornat  
 Marmoream. Quid te Mariae sudantis imago  
 Perturbat, Praesul <sup>(44)</sup> ? Recreas dulcedine morum  
 Sic cives, Albane <sup>(45)</sup>, tuos. Tu claudis alumnos  
 Cosme <sup>(46)</sup> tibi caros, plantas ceu cultor in horto.  
 Te Cupille <sup>(47)</sup> nitens Virtus comitatur euntem,  
 Dum Turcas cernis multa formidine turbas  
 680 Effugere ad montes Bosnaeque revisere campos.  
 Effulget pietasque tua, Lage <sup>(48)</sup>. Insignis ab Urbe  
 Antonî <sup>(49)</sup> Mucari vitae sacra munera praebes

Dalmatico sermone valens. Coluisse viretum  
Bizza <sup>(50)</sup>, cupis studiis Tiluri prope fluminis oras.  
Integritas Dinaricii <sup>(51)</sup> pulcherima splendet.  
Virtutum dilecta cohors, caritasque coruscans,  
Te Garanine <sup>(52)</sup> trahunt, laudant rerum omnium egentes.  
Cippice <sup>(53)</sup> candidula late bonitate renides.  
Paule <sup>(54)</sup> venis. Populum patriae facundia linguae  
590 Usque rapit : docto sophiae recludere in horto  
Intactam gaudes sedem, praegrandia Templo  
Dona ferens, majora dares ; ni tristia fata  
Tam cito te raperent ! Densa caligine rerum  
Obvolvor circum : mentem nox invida late  
Obtegit. Egredior Templo : loca prisca revisens,  
Tecta peto, parvamque casam prope littora Jadri.



## Adnotationes.

---

1.

Diocles maximam voluptatem e viridario colendo captabat. — Imo cum Herculius Maximianus eum ad imperium iterum suscipiendum litteris blandissimis excitaret, respondit: si sciret quam dulcia essent olera, quae ipse Salonis coleret, non ita scripsisse.

2.

Palatium a Diocletiano aedificari coeptum est anno 292 et absolutum omni ex parte anno 298. Maxima erat ejusdem magnificentia ut poterat cognosci ab iis, quae adhuc supersunt, quae profecto jure ac merito possunt comparari tum nobilitate tum pulchritudine cum nobilissimis et pulcherimisque antiquitatum monumentis, quibus praesertim Europa gloriatur.

3.

Domus. Palatium hoc extendebatur in longitudinem pedes 630, et in latitudinem pedes 510.

4.

Turres quibus hoc Palatii latus circumscribatur, adhuc supersunt, sed alia sub forma. Quae vero turres has inter surgebant fuerunt eversae.

5.

Cryptoporticus nobilitate pulcherrima totum cingebat Palatium ad deambulandum opportuna. Latus meridiem versus, adhuc nonnullos arcus ejusdem ostendit.

6.

Aurea Porta. Hae adhuc superest, sed a terra abscondita. Fulcimen tantum conspicitur, a quo potest dignosci ejusdem nobilitas. Lapidibus ibi adhaerent adnexe et conjunctio mirabili.

## 7.

Porta orientalis funditus eversa, et alia a Venetis aedificata. Occidentalis lateris nullum superest vestigium.

## 8.

Amphitheatrum vel Theatrum quadratum ad belluarum certamina. Hoc existit adhuc maxima ex parte occasum versus. Conspiciuntur Cryptoporticus ad spectacula cernenda et porta e saxis belle connexis formata, qua ferrea crates demitteretur.

## 9.

Ministerium erat a dextera ingredientium portam auream, et Gynecaeam a sinistra. Hae domus separabantur a porticibus, et a via quae ad forum, et ad portas orientalem ed occidentalem ducebat. Harum domorum nullum vestigium superest; sed a reliquiis illius porticus orientem versus quae cryptoporticum sustentabat, potest facile deduci tum Ministerium, tum Gynecaeam a ceteris palatii partibus sejungi prorsus ac separari.

## 10.

Persis a Galerio devictis, filia Regis Persarum et nobilissimae matronae in captivitatem deductae, in aede Diocletiani textrinum exercebant. *Farl. t. II.*

## 11.

Forum. In hoc foro surgebant duo columnae granditate et marmore nobilissimae et gestabant statuas aeneas Diocletiani, et Maximiani Herculii, sed omnia eversa et asportata. Hoc forum, quod maxima ex parte existit adhuc, decorat cum suis columnis Propylaeum, quod est pulcherrimum tum ob ornatus, tum ob armoniam partium omnium. Quatuor columnae cum novem ex omni latere sunt ex ordine Corinthio et marmore Lybico. Tres habet portas, quarum media, nobilissima. Ante Propylaeum erant duo Sphinges Aegyptiacae. Altera superest hieroglyphicis inscripta; quae vero habebat pedes leoninos et similis erat Sphingi, quam Augustus locaverat

---

super Obeliscum Campi Martii, eversa fuit et prorsus destructa. Volunt nonnulli hoc Propylaeum cum columnis asportatum fuisse a ruinis Thebarum, vel Mempheos celeberrimarum Aegypti civitatum.

12.

Belzonius Patavinus qui tantam sibi gloriam comparavit in detegendis antiquitatibus Aegypti.

13.

Galli in expeditione Aegyptiaca cum in insula quadam Nili lapidem detexissent, quae legem quandam scriptam signis hieroglyphicis et graecis litteris insculptam exhibebat cumque ejusdem legis transcriptionem in utraque lingua Parisios misissent, haec interpretatio praebuit causam eruditissimis viris et modum, quo possent hieroglyphicam scripturam dignoscere et intelligere.

14.

Vestibulum hoc magna ex parte potest videri. Interius formam exhibet rotundam, superius, videlicet in tecto, quadratam. Id fit ex eo quod in quolibet angulo cellula rotunda erat cum fenestris. In hisce cellulis vigilabant excubitores. Adhuc una cellula potest conspici. Ceterae in alias formas fuere conversae.

15.

Atria cum columnis granditate et pulchritudine spectabili, cubicula interna, triclinia et cetera loca, quae domicilium aestivum et hiemale Diocletiani constituebant, prorsus eversa et rudera asportata. Porta tantum superest quae e Vestibulo ad Atrium ducebat, affabre exculpta.

16.

Hinc et inde ab atrio erant duae aulae, quarum altera inserviret ludis scaenicis et concentibus, altera caeremoniis regiis. Istae Aulae extendebantur in longitudinem 85 pedes, et in latitudinem pedes 59. Fornices earum sustentabant 19 columnae, quae a parietibus distarent pedes 10.



17.

Juxta Aulas ludorum et Coeremoniarum erant duo vasta Triclinia, quorum aliud Corinthiacum dicebatur, aliud Cyzicaenum, eo quod in ipsis mores Corinthi et Cyzici sequerentur, vel quoad dapes, vel quoad ornatus.

18.

Ab hisce Tricliniis per aliquot gradus, qui extarent in angulo, descendebatur ad balnea. Hisce addebantur tres aulae, sive cellae mediocris extensionis. Prima dicebatur apodyterium, quod exercendo corpori inserviebat, vel despoliando; hinc adpellabatur etiam *tepidarium, aerium, spoliarium*. Huic proxima vocabatur sphaeristerium seu locus exercitiorum, et juxta Plinium, locus ludendae pilae.

19.

Supra has aulas, hoc est in tabulato superiori aliae duae balnearum species habebantur, hoc est balnea frigida, et balnea vaporifera, ad sudorem excitandum opportuna.

20.

Puteus hic adhuc conspicitur; saxis quadris satis bene adnexis componitur ad aquas e Jadro flumine derivatas conservandas.

21.

Juxta Aulas quae balnea frigida et vaporifera constituebant, Aula alia aderat, quae eundem caloris gradum servaret.

22.

Cubiculum Imperatoris tribus constabat partibus, quae semicirculi formam referebant. Ad partem cubiculi quae lectum servabat, porticu quadam ingredi licebat, quae porticus duabus columnis et tribus arcibus formabatur. Arcus vero habebant velamina purpurea quae Cubiculum omne a cryptoporticu externa dividerent, ubi vigilarent excubitores.

23.

Aedicula Aesculapio sacra, nunc in Baptisterium mutata. Prospectus hujus Templi est pulcherrimus. Optimam partium harmo

niam prae se fert. Architectura servat ordinem Corinthium. Pars interior in longitudinem extenditur pedes 24, in latitudinem 16, densitas murorum pedes 6 habet. Corona, bellissime sculpta cingit interiori superiorem Templi partem. Lapidés affabre sculptae et grandiores tectum constituunt. Quatuor pilae sustinent ornatus exteriores. Pilae, quae portam formant, habent 16 pedes altitudinis. Olim erat etiam Propylaeum quod nunc non cernitur. Hoc Templum integrum prorsus conservatur.

## 24.

Praecipuus Palatii Prospectus meridiem versus mare prospectat. Hic prospectus suam pulchritudinem potest adhuc offerre, cum muri conserventur. Turris maxima, orientem versus, extollitur paene integra, quae occidentem versus exurgebat, et juxta quosdam cineres Diocletiani conservabat, eversa prorsus ac diruta est. Haec facies in 74 pedes extollebatur, dum illa quae Septentrionem spectat, in pedes 55. Hinc solum internum videtur per loca subterranea grandi opere elaborata, quae conspiciuntur adhuc, ad eandem altitudinem fuisse deductum. Hic prospectus habebat olim 50 columnas, quarum adhuc etiam conservat 42. Monstrat Cryptoporticum pedes 25 latam quae totum circumiret Palatium, ut diximus.

## 25.

Volunt nonnulli has statuas fuisse eversas in odium idololatriae impietatis et in mare demersas non procul a monte Marliano occidentem versus.

## 26.

Porta ferrea ita dicta forsan eo quod ferreis lamini- bus constabat, et ex adverso aureae portae responderet, adhuc conservatur. Ad oras maris mittit.

## 27.

Templum hoc quod alii Jovi, alii Dianae sacrum dicunt, nunc in Cathedralem Virgini Mariae in coelum Assumptae dicatam, mutatum maxima ex parte, conservatur. Externa porticus cum 36 columnis, quae fere omnes conservantur, totum Templum cingebat.

Proportio Templi magna admodum. Altitudo interior habet pedes 85. Forma externa praebet octagonum, quodlibet latus externum habet pedes 35, internum 25. Hinc densitas comprehendit pedes 10. Forma interna circularis, habet diametrum pedum 42. Octo columnae ordinis Corinthii, ex pulcherrimo marmore Libyco, adhaerent cuilibet lateri, et habent pedes 24 altitudinis, et sustinent alias octo columnas quatuor ejusdem marmoris, quatuor porphidi. Istae habent pedes 12, et sunt ex ordine composito. Ornatus coronarum, quae conspiciuntur inter hosce ordines columnarum, sunt elegantissimi. In Templo erant octo loculi, quatuor circulares et quatuor quadrati. Architectura portae et porticus externa est nobillima. Fulcimen internum constat formis circularibus instar squamarum dispositis. Pars media aperta accipiebat lucem. Licet forma interna fuerit multis in partibus mutata, potest tamen nobilitas pristina facillime dignosci.

28.

Joannes I. Ravennas Archiepiscopus annis 552-680, qui Templum hoc in Cathedralem Metropolitanam convertit.

29.

Justinus I. Archiep. ann. 840-860 convertit Naronienses.

30.

Joannes III. Arch. electus Primas ann. 914-940.

31.

Petrus III Arch. ann. 1000-1015.

32.

Laurentius Arch. ann. 1059-1099.

33.

Crescentius Arch. ann. 1099-1112.

34.

Albertus de Mora Arch. et Cardinalis 1166-1175.

35.

Rainerius Archiep. ann. 1175-1180, fuit Martyr.

36.

Petrus VII Archiep. 1185-1187, qui facultatem obtinuit Crucem prae se ferendi.

37.

Bernardus Archiep. 1195-1217.

38.

Hugrinus Archiep. 1244-1248.

39.

Rogerus successor ejus. Archiep. ann. 1248-1266.

40.

Zannius Archiep. ann. 1451-1473.

41.

Andreas II. Cornelius Archiep. Cardin. ann. 1536.

42.

M. Antonius de Dominis Archiep. ann. 1602-1616.

43.

Ponzonius Sfortia Archiep. 1616-1640.

44.

Leonardus Bondumerius Archiep. 1640-1668.

45.

Bonifacius Albanus Archiep. ann. 1668-1678.

46.

Stephanus Cosmus Archiep. ann. 1678-1708.

47.

Stephanus Cupilli Archiep. ann. 1708-1719.

48.

Joannes Baptista Laghi Archiep. ann. 1720-1730.

49.

Antonius Cadeich Archiep. ann. 1730-1745.

50.

Pacificus Bizza Archiep. ann. 1745-1756.

51.

Nicolaus Dinaricius Archiep. 1756-1764.

52.

Lucas Garagnini Archiep. ann. 1764-1783.

53.

Laelius Cippico Archiep. 1784-1807.

54.

Paulus Clemens Miossich Episcopus Spalatensis et Macarensis olim Salonitanus ann. 1829-1837.





## **LIBER TERTIUS.**



elicias inter, delecta et commoda rerum  
Imperii spernens fastus, plaususque superbos  
Jurgiaque et fraudes comitum, tristesque livores  
Securae Diocles peragebat tempora vitae.  
Saepe tamen tacita gaudebat volvere mente  
Gesta suae dextrae totum vulgata per orbem,  
Grandiaque omnigenae contempta insignia pompae,  
Utque acies premeret formidatasque phalanges  
Laeta triumphali properans victoria curru.  
Hic tot opes inter dulcisque silentia sedis  
Praeteritos iterum Senior revocaverat annos  
Primaque Anastadii monstrarat facta, vicesque.  
Haud procul a longis floret Dioclea <sup>(1)</sup> Salonis :  
Nascitur hic infans Valeri <sup>(2)</sup> de sanguine cretus.  
Roma tenet puerum cum gente, stipendia ducit  
Romulidas inter primaevo flore juventae.  
Ense potens, virtute gravis, suscepit honores  
Militiae, rueret medios dum fortis in hostes  
Sterneret et multo exundantes sanguine turmas.  
20 Jam subit, hic fatur, cum vidit Moesia quondam  
Me duce, Romanas acies in proelia mitti  
Barbaricas terrere manus et castra levare;  
Tunc Druidum <sup>(3)</sup> quaedam subito delecta Sacerdos  
Sistitur, et mox voce sonans, mihi debita dona  
Tradè precor. Tradam, clamo, cum purpura corpus



- Exornet, sceptrumque geram. Tunc ipsa repente  
 Grandior erigitur, lucentia lumina vertit  
 Attollitque comas, flammanti et protulit ore :  
 Mundi scepra geres, Aprum cum dextera perdet.  
 30 Auribus insonuit vox haec, Dea foemina visa,  
 Concutit ossa timor, subito percussa stupore  
 Mens haeret, veluti siquis prostratus in antro  
 Pythiaco recipit turbato oracula corde.  
 Ipse ego sumo omen trepidanti pectore, vera  
 Sensa ratus, sylvas lustrans vallesque repostas  
 Saepe hasta stravi canibus pellentibus apros :  
 Sed diversa ferunt cecinit quae diva Sacerdos.  
 Haud procul a pelago fluctus quod verberat urgens  
 Chalcidicaeque arces surgunt, tentoria late  
 40 Romulidum posuere acies pulchro ordine; et adstat  
 Arrius <sup>(4)</sup> alta petens cognato sanguine foedus.  
 Concio erat: culpaque carens et criminis ultor  
 Ense hostem adgredior. Ceu cum per prata, per arva  
 Adspicit errantem trepida formidine cervum  
 Venator cursuque premit, canibusque fatigat  
 Et captum telo perimit, sic impete fervens  
 Frustra currentem multo cum vulnere sterno.  
 Ingeminant acies plausus: oracula tollunt.  
 Pressit humum fatalis Aper: Tibi sume coronam.  
 50 Illyrico interea qua floret Margus <sup>(5)</sup> in arvo  
 Castra tenet, turbas firmat, parat arma Carinus <sup>(6)</sup>.  
 Egredior, longum per iter, gressuque citato  
 Infestas cerno peditumque equitumque phalanges,  
 Jam tuba terrificae dat signa faventia pugnae.  
 Ac veluti in sylvis taurorum armenta boumque  
 Instant vi multa grandique furore feruntur,  
 Unguibus adstantes frustra, vel dentibus ursos  
 Adsiliunt, feriunt cum cornibus, atque repente  
 Cedere compellunt trepidos: sic agmina utrimque

- 60 Concurrunt infesto animo, vultuque minaci  
Terrificae adgressu primo hinc atque inde catervae.  
Inflexae hostiles coguntur cedere ab omni  
Compulsae cornu, trepidae dat terga Carinus  
Ipse fugae, teneo castra adversa, oppida, et arces ;  
Devictaeque acies victoris signa sequuntur.  
Laeta meos urgens comitatur gloria gressus  
Hinc et Sarmaticas vidit Pannonia (7) gentes  
Effugere et multa Raetheos (8) caede repulsos  
Germanosque metu pressos. Victricibus armis
- 70 Regna Asiae peragro. Dites quacumque per Urbes  
Victorem excipiunt cives, plaususque secundos  
Ingeminant, tolluntque novi monumenta trophaei.  
Deserit extemplo Syriae Rex Nerseus arces:  
Incedo viridi redimitus tempora oliva  
Pacis opes gestans. Galerius ocior aura  
Insequitur Persas multa formidine pressos  
Adgressuque petit Regem, prope Tigridis undas  
Deturbat clade ingenti, et Euphratis ad oras  
Impatiens urget: duo flumina sanguine foeda
- 80 Atque cadaveribus stupuere exterrita circum,  
Urbs dilecta nimis recipit Nicomedis (9) ovantem.  
Ingenti sumptu tollo, luxuque superbo  
Templa, aedes, circos, vastis aurata theatra  
Porticibus. Romam venio, Tiberinaque cerno  
Ostia; Romulidas inter plaudente Senatu  
Ipse triumphali sancta ad Capitolia curru  
Conscendo lauroque nitens spoliisque superbus  
Adsto Urbis domitor, totum et regnator in orbem.  
Laetitiae nova signa canunt, plaususque per auras
- 90 Undique tolluntur, parti monumenta trophaei  
Romulidae ponunt, ponit simulacra Senatus.  
Cor mihi gestit ovens, tanti mens conscia gestit  
Imperii totusque meis dum nutibus orbis

- Paret, majestasque novo fulgore coruscans  
 Inclitaque augustos praecedat gloria gressus.  
 Tunc aedes Romae, tunc vastis balnea thermis  
 Instituo viridesque hortos, et pulchra Theatra,  
 Romanae dominus terrae, felicior ipse.  
 Regifico sumptu patria tellure nitentes  
 100 Erexī has Aedes; domus esset cara Parenti.  
 Quo decor imperii cessit! quo fastus honorum?  
 Abjecti plausus resonant, opprobria laudes,  
 Contemptus belli splendor, clamorque triumphī.  
 Scep̄trum ubi deposui, tranquillam ducere vitam  
 Sperabam, sed tuta quies, pax integra tristi  
 Pectore diffugit; frustra lenire dolorem  
 Venatu quaero et laceros solarier artus  
 Inter delicias artis rerumque situsque.  
 Taedia dant animo viridaria consita circum,  
 110 Ex oculis sopor ipse abiit; tristissima spectra  
 Terrificis terrent formis turbantque paventem.  
 Quo fortes abiere acies; quo gloria dextrae?  
 Quis furor erumpens mediis e faucibus orci  
 Viscera divexat! Vindex quae Numinis ira  
 Torquet turbatas effoeto in corpore vires  
 Praecipitemque trahit fatalis noctis ad umbram?  
 Talia corde dolens lacrymisque per ora volutis  
 Hic Senior retulit curis agitatus iniquis.  
 Frustra plorantem recreat moderamine vitae  
 120 Mitis Anastīades virtutis praemia monstrans.

**I**n orbe quidquid nascitur invido  
 Crebris caducum cursibus effugit,  
 Turpique stultorum irretitas  
 Fraude rapit recreatque mentes.

- Est vita nempe labile somnium.  
Somno sepultus qui jacet, illico  
Lusus per umbras insolentes  
Mille sibi renovat figuras.
- 130 Excitus omnes perdit imagines  
Vocesque perdit, sensaque dulcia  
Atque obstupescenti cerebro  
Ore capit vacuas tenebras.
- Infesta vanae pompa superbiae  
Opes malignae, luxus iniquior  
Tentatque mortales voluptas  
Blandisonis recreare spectris.
- Sic imperantum gloria Caesarum  
Lati triumphi, palmaque bellica  
Plaususque, terrentesque fasces  
140 Ludificant per inane cives.
- Quo cessit ensis robur aheneum  
Quo nunc trophaeis arma micantia  
Cessere, diffusaque fama  
Quo celebres fugiere voces?
- Trophaea multis parta laboribus  
Sternuntur, arcus marmore nobiles,  
Disjecta procumbunt repente  
Praecipiti simulacra nisu.
- 150 Sic Templa quondam, tectaque regia  
Theatra, circos, balnea, porticus  
Evertet ingenti ruina  
Lapsa sono tacito vetustas.
- Morsu tenaci cuncta vorat dies  
Falsasque rerum pandit imagines  
Interque dispersas ruinas  
Facta hominis male tuta prodit.

Humana quantum ars aedificat sagax  
 Aequat figuras et modicas domus  
 Quas saepe acervatis arenis  
 160           Ipse jocans statuit puellus.  
 Ubique mixtos insidiis dolos  
 Ubique cernes invida pectora,  
           Mendaxque fatali veneno  
           Fraus serit insatianda damna.  
 Sane beatus tempore qui suo  
 Valet ruinas noscere perfidas,  
           Virtute confisus nefandae  
           Vincit ovans mala sensa fraudis.  
 Spernit caducae dona superbiae  
 170           Proculque pompis atque negotiis  
           Gaudet suo tecto in remoto  
           Ipse hilarem renovare vitam.  
 Haud cor malignis casibus abjice,  
 Cognosce mentis grande jubar tuae  
           Et per reluctantes triumphans  
           Te usque trahat Sophia ipsa turbas.  
 Hic hic reposto floret in angulo  
 Optata vitae blandidulae quies.  
           Secura cultos inter hortos  
 180           Otia aedibus his aguntur.  
 Attolle sursum lumina ad aethera  
 Verosque rerum quaere modos ibi:  
           Virtute sic tandem magistra  
           Invenies sine fine pacem.

**H**oc Diocles secum recreatus carmine, rursus  
 Talia voce refert. Socium legisse juvavit  
 Imperii similem croceum qui ferret amictum.  
 Caesareoque duces decoravi nomine binos

- 190      Queis jus omne foret totum regnare per orbem  
Nec rueret civili exundans sanguine Tiberis.  
Hinc etiam Augusti Caesar decoratur honore  
Persarum victor spoliis oneratus opimis  
Saepius hostiles prosternens caede phalanges.  
Interea felix moderamen in orbe Quiritum  
Mille vices passim turbant atque horrida bella,  
Et portentiferis <sup>(10)</sup> spectacula tristia monstribus.  
Iam moestis responsa negant oracula templis  
Signa nec ostendit nostras ubi victima ad aras  
Decidit, attonitusque timet pallore Sacerdos.
- 200      Sic squalor tristisque pias metus occupat aedes  
Nostraque relligio cessat, cultusque deorum  
Perditur. Ingenti numero late undique crescit  
Christiadum pietas. Ipsi simul agmina complent,  
Atque ministri eorum, decorantur honoribus, atque  
Munia Caesareae absolvunt praegrandia Sedis,  
Quin et nos diris intentant perdere flammis  
Bis aedes <sup>(11)</sup> vasta positas Nicomedis in urbe  
Ignibus invadunt piceis. Nox horrida monstrat  
Instans excidium: flammantia tecta sepulchro
- 210      Me sociumque meum tegerent, ni Caesar <sup>(12)</sup> adesset,  
Pelleret insidias longe, ignitasque ruinas.  
Tunc furiis socii excitus per numina juro  
Mactare infestos homines. Jam clade necantur  
Sanguinea passim. Sed mens formidine grandi  
Obstupet, insolitoque haeret vexata dolore.  
Inscius ipse mihi defaetos corporis artus  
Vix moveo impatiens; urbesque, orasque peragro  
Imbellique animo Romana ad moenia tandem  
Accedo. Rabieque nova succensus et ira
- 220      Iam cladem jubeo: furialia funera scribo.  
Cladibus horrescens subito pressusque dolore  
Aufugio; renuens foedatam strage coronam

Tristis, inermis, privatam procul agere vitam  
 Huc venio; pacem colo. Bis ad regna vocatus  
 Bis renuo sceptrum: hic olera <sup>(13)</sup> excoluisse juvabit  
 Quam debellato Romae dominarier orbe.  
 Fatur Anastiades pacato laetior ore:  
 Fortunate Senex inter tuta otia villae!

230 **U**t hic longius urbibus  
 Turbatusque negotiis  
 Juvat ducere candidam  
     Inter commoda vitam!  
 Nec discordia perfida  
 Laedit pectora tristia  
 Nec gentis strepitus gravis  
     Tollit saepe quietem.  
 Non hic ambitio invida  
 Ingenti omnia turbine  
 Miscet, turbat et impotens  
 240      Foedat clade cruenta.  
 Non hic pompa superbiae  
 Luxusve insatiabilis,  
 Opes civibus abripit  
     Parans plurima damna.  
 Nec clangit tuba bellica  
 Non dira ensibus agmina  
 Currunt proelia ad horrida  
     Spargunt arva cruore.  
 Sed pax aurea blandula  
 250 Aedem dulcius incolit,  
 Alma felicior quies  
     Mulcet laeta vireta.

Dulce et cernere coelicam  
Naturae speciem integrae,  
Quae vestit juga montium  
    Valles, prata, nemusque,  
Campos messibus aureos,  
Laetosque undique vitibus,  
Ramis usque virentibus  
260      Bacca divite olivas.

Dulce est dum mare turbidum  
Raucis fluctibus infremit  
Vel dum flamine leniter  
    Ludens littora pulsat.

Naves divitiis graves  
Oras dum placide tenent,  
Circum et navita funditur  
    Tuto laetior ore.

270      Dulce est hic viridaria  
    Multo spargere semine  
Herbas tollere, flosculos  
    Gratos inter odores.

Vel per culmina collium  
Sectari lepores leves  
Vel damas canibus citis  
    Vel captare volucres.

280      Tutos ducere sic dies  
Inter tuta silentia,  
Artus reddere vividos  
    Ad haec tecta reverti.

Qua Caesar frueris tuae  
Doctrinae omnigenis bonis  
Tenes commoda plurima  
    Dulcis dona quietis.



**T**alia dum juvenis placido modulamine sensu  
 Ore sonat monstrans felicis munera vitae,  
 Afficto Diocles fundit suspiria corde:  
 Bella, licet, dixit, nostris horrentia tectis  
 Nunc absint, fugiatque istam discordia sedem  
 290 Et licet omnigenis niteat pulcherrima rebus  
 Natura haec inter viridaria et arva beata,  
 Alma quies animi pax et dulcissima cordis  
 Me miserum linoquit curis dum vexor iniquis.  
 Conscius horrendae cladis per rura, per urbes  
 Quam ferus edixi, patrati criminis auctor  
 Usque angor trepidans: adstat mihi mortis imago  
 Ultrix culparum. Veterum jam gloria rerum  
 Et robur dextrae celebrati et fama triumphi  
 Et decus imperii, fulgorque evanuit omnis,  
 300 Solvitur haud aliter nubes ad lumina solis.  
 Hinc animi moeror subiit, dum mente revolve  
 Tempora prolapsae vitae fastusque nitentes:  
 Hinc et perfracti miseranda abjectio cordis.  
 Nulla quies tristi, nullum solamen egenti.  
 An cum mens veluti subito perculsa furore  
 Turbatur confusa simul, simul impete grandi  
 Acta novos sensus monstrat, nova verba susurrat.  
 Infelix hominis vilem tunc ipse figuram  
 Ostento, ratione carens, formaque loquendi.  
 310 Vel cum nox dulci recreat defessa sopore  
 Corpora propulsans miseri fera signa doloris  
 Effugit ex oculis somnus: nova cura fatigat  
 Corda premens: mentem spectacula lurida terrent.  
 Ecce mihi ante oculos umbrarum sistitur agmen,  
 Horresco visu: tum major imagine et ore  
 Fortius exclamat, Diocles, me, perfide, noscis!  
 Vestibus indutus sacris sum nomine Cajus <sup>(14)</sup>  
 Lege tua damnor: cryptas subisse coactus

- Anxiferas inter curas, famisque dolores  
 320 Occubui patiens. Tunc clamat voce sonanti  
 Gabinius <sup>(15)</sup> nomen mihi: barbare, cerne catenas  
 Quis vexor vinctus: me squallor et horrida fames  
 Terrifico absumit morsu, diraque securi  
 En caput obtruncat tortor. Dum talia specto  
 Mens incerta haeret: trepidat formidine corpus  
 Nequidquam vox quaerit opem: cum visio monstribus  
 Horrisonis adstat: crebro cum vulnere turba  
 Carnificum juvenem <sup>(16)</sup> vinctum ducuntque trahuntque  
 Carcere nigranti claudunt, plagisque cruentis  
 330 Dillacerant ferroque secant candentia colla.  
 Ingentes agitans gemitus suspiria fundo  
 Cum nova turba venit properans de pariete summo.  
 Claudius <sup>(17)</sup> ipse vocor, dira quem morte necasti,  
 Unus, ait, tortor cervicem dividit ictu.  
 Maximus hic alter fraterno sanguine junctus  
 Ense cadit. Structum lignorum cernis acervum,  
 Ecce Uxor <sup>(18)</sup> dilecta mihi vinclisque ligata.  
 Cum natis trahitur firmato pectore, et ardens  
 Flamma rogam invadit pervasaque corpora perdit;  
 340 Dum tollunt oculos immoto pectore Numen  
 Exorant, rapiturque ardenti vortice dulcis  
 Cum pueris mater. Summo volat aethere fulgens  
 Aligerum sacrata cohors, palmasque triumphi  
 Tendit ovans. Frustra mandas, saevissime, in undas  
 Flumineas spargi cineres, flammantiaque ossa.  
 Reliquias venerata simul jam colligit unda,  
 Littus et ad tacitum leni cum murmure pellit.  
 Christiadaeque hilares dia novitate stupentes  
 Frusta legunt, ponunt lecta inter aromata in urnam.  
 350 Laetus Anastiaes flammato hacc protulit ore:

**M**artyrum salve generosa proles!  
 Patriam longis retrahis Salonis,  
 Mortis ut palmam capis ad sonantes  
 Tybridis oras!

Turba tortorum truculenta saevit,  
 Adparat funes, gladios, bipennes,  
 Ligna componit, facibusque diros  
 Suscitatur ignes.

360 Corde sed forti placidoque vultu  
 Vincla, vos, enses rabidos, flagella  
 Et rotas diras, piceasque prompti  
 Spernite flammam.

Decidunt collo capita haec revulsa  
 Trunca foedantur calido cruore  
 Corpora irrorant male secta multo  
 Sanguine terram.

Jam rogi flagrat: sociata mater  
 Filiis adstat gemitus repulsans:  
 Ignis ardenti manibus ligatus  
 370 Vortice volvit.

Grata vox circum sonitu beato  
 Tollitur, plausus renovans secundos,  
 Sancta vox dias reserans cupiti  
 Aetheris auras.

Dulcis Heroum ter amata proles  
 Fortis in diram ruitura mortem.  
 Cordis intacti Deus ipse spectat  
 Nobile robur.

380 Hostiam thuris veluti suavis  
 Corporum puram recipit, beatissimam  
 Gaudii spargit radiis necatos  
 Clade furenti.

Mane sic primo recreare terram  
 Luce sol laeta solet et nitenti  
 Rore gemmatos veluti refundit  
 Ipse lapillos.

390 Guttulae fervent tepido calore  
 Candidi formam subeunt vaporis  
 Evolant motu celeri per altas  
 Aetheris oras.

Integer fumus, maculis et expers  
 Leniter surgit medios per ignes  
 Atque odoratae specie beatas  
 Nubis ad auras.

Panditur sacrae penetrale sedis  
 Cantus exultat nova signa portans  
 Fortium grandi celebrat relatos  
 Corde triumphos.

400 Angeli summo veniunt ab axe  
 Gestunt dulces renovare plausus  
 Et gerunt laeti meritaecum decora  
 Praemia palmae

Martyrum salve generosa proles  
 Adde mi robur similes ad ausus!  
 O quater felix valeam referre  
 Grandia gestu!

410 **H**aec ubi verba capit Diocles, tunc protinus infit:  
 Diffugere oculis simulacra horrentia, et inde  
 Ipse stupens vexor trepida formidine, et altas  
 In lacrymas solvor: diri trepidantia morsus  
 Viscera dilacerant penitusque incendia adurunt.  
 Egone tantae auctor cladis, fera causa cruoris  
 Saevius effusi passim? Tortorque meorum

Quos natura mihi cognato foedere junxit?  
 Talia dum refero plorans, quo cella recessus  
 Vasta tegit velis, surgit furibunda puella (<sup>19</sup>),  
 Grandi voce sonat flammantia lumina volvens:  
 Promissam Herculio cernis saevissime sponsam!  
 Carcere me clausit pressit squalore flagellis  
 420 Ille tuus tortor: sceleratam ponere ad aram  
 Thura jubet: subito simulacrum vulnere praeceps  
 Procumbit validoque ignotae robore dextrae  
 Longius abripitur disectum in turpia frusta.  
 Mi caput obruncat gladius: tu sanguine gaude,  
 Barbare; quam sociam cernis teneramque parentem  
 Extorrem patriae et crudeli morte peremptam  
 Anxiferas inter curas tua jussa tulere.  
 Haec animo memorans diri nova damna doloris  
 Expertus, pavida ac terrent suspiria mentem.  
 430 Ipse metus inter frustra depellere tento  
 Tristitiae fera spectra meae: gravioribus adstant  
 Vulneribus caesae nigra sub imagine formae  
 Luridaeque ante oculos circum spectacula surgunt.  
 Nam videor media Nicomedis (<sup>20</sup>) in urbe sedere  
 Excelso fulgens solio dum ducitur agmen  
 Christiadum: specto gladios, dirasque secures  
 Atque cruces, structosque rogos, taedasque facesque  
 Scorpionesque simul diro cum pectine serras.  
 Hinc alios video truncatos ense, vel altis  
 440 Infixos crucibus, flammisque ad ligna cremari  
 Exustos facibus, flammata in stagna remissos,  
 Per fora, perque vias serris vel pectine sectos.  
 Mente volans pavida spumantem sanguine multo  
 Aspicio Tiberim, fusam per compita passim  
 Carnificum turbam diris vexare flagellis  
 Jam vinctos homines, graphiis discerpere acutis  
 Et circo in medio laceratos ungue ferarum.

Et quos saepe ferox inter tormenta Salonis  
 Mactari volui aut vinctis post terga lacertis  
 450 Hac aede inclusos vidi crudelia passos ;  
 Ante oculos properant cuncti longo ordine et ipsa  
 Vulnera praemonstrant strumentaue barbara mortis  
 Horrificae visu formae: quas inter imago  
 Vestibus accedit sacris binosque puellos  
 Ipsa trahit manibus: tunc clamat voce sonanti  
 Ille ego sum Felix <sup>(21)</sup> isto quem litore tortum  
 Hosque simul pueros crudeli occumbere ferro  
 Barbaries furibunda jubet. Nunc vulnera cerne  
 Dissectosque artus, caput et cervice revulsum ;  
 460 Adspice et hos pueros perfractis ossibus atque  
 Corporibus pressis undanti sanguine foedos,  
 Perfide, clade tua gaude, fusoque cruore,  
 Multiplicique modo poenarum et mortis acerbae.  
 Talibus ingemui mugitus noctis ia umbra  
 Extollens, qualis sacrata taurus ab ara  
 Saucius effugiens auras mugitibus implet.  
 Per cellam erravi trepidus, corpusque fatigans  
 In terram cecidi: terram tunc dentibus ipsis  
 Nequidquam mordere volo, vel lambere lingua  
 470 Speque carens omni desperatusque furore.  
 Sensibus abreptus <sup>(22)</sup> veluti qui corpore functus  
 Pressus humi jacui dum lux nova surgit ab ortu.  
 Talia Anastiades commoto subdidit ore :

**V**os oculi deflete mei, lacrymisque rigate  
 Dum patria innocuo sanguine terra fluit.  
 Jam furor et Dioclis fera desperatio in aede  
 Dire Christiadis ultima fata parat.  
 Porticibus clausos nigra sub nocte cavatis  
 Mors manet atra et quos carcer in urbe tenet.

- 480 Per fora perque vias tortor dirique ministri  
Mille necis formas instituuntque rogos.  
Hic inter flammis vinclis constricta cremantur  
Corpora, ferratae dilacerantque rotas.  
Colle super tractos truncat furibunda bipennis,  
Navibus et vinctos fluminis unda rapit.  
Suspensi laqueo cellis moriuntur in imis  
Vel circo dantur praeda jocusque feris.  
Et tibi Petre (23) caput cecidit cervice revulsum  
Aeternas fidei qui mihi tradis opes.
- 490 Eja oculi deflete mei, lacrymisque rigate  
Dum patria innocuo sanguine terra fluit.  
Quid loquor! haud lacrymas sed dulces fundite sensus  
Et date laetifico nunc nova signa sono.  
Felices Christum licuit queis morte fateri,  
Et clade optatam pandere ad astra viam.  
Et vos felices dira inter proelia nempe  
Coelestis subito ros levat omne malum.  
Neve catenarum crudelia vulnera passi  
Integra dum sedem mens videt aetheream.
- 500 Mens inhians coelo, Deus unica cura volenti  
Et gladios sprevit, probra, flagella, rotas.  
Culparum finis mors est finisque dolorum  
Et cessant vestra quaeque pericla nece.  
Vos patiens calcastis iter per tela per ignes,  
Hoc iter ad summum vos docet ire Patrem  
Est coelum patria aeternis fundata columnis  
Urbsque Dei supero vos capit ipsa sinu.  
Vulnera vestra tulit Christus mortemque subivit,  
Et dolor extremo funere nullus adest.
- 510 Ac veluti in sylvis spoliatus fure viator  
Externas perdit corporis exuvias:  
Artus qui perdit, mentis tunc perdit amictus  
Nec sentit poenas, damna nec ulla videt.

Felices fidei firmastis sanguine robur,  
 Felices nunc vos aetheris aula tenet.  
 Terra cruore madens longos foecunda per annos  
 Heroum melius germina sancta dabit.  
 Sic cum per campos urunt incendia messem  
 Excrescit passim pulchrior ipsa seges.  
 520 Miles digressus pugnae sua vulnera monstrat  
 Victricique capit munera laeta manu:  
 Vos caput avulsum geritis plagasque recentes  
 Summa Dei omnigenas gratia fundit opes.  
 Vos sequar intactae Fidei certamina vincens,  
 Et vestris liceat semper adesse choris,  
 Quo mea Virgo (24) nitet, quo me splendore coruscans  
 Ipse manet Petrus magnaue ad acta ciet.

**N**uncius interea sulcans vasta aequora navi  
 Appulit: extemplo Diocli sic, ore ministri,  
 530 Fatur Anastias: raptus Maxentius (25) ira  
 Linqere nunc natam renuit: nil iussa precesque  
 Nil promissa iuvant: veteres memorare triumphos  
 Praemia et Augusti benefacta illustria cordis  
 Haud remouent animum. At tanta oblivio tristes  
 Jam senis instaurat curas augetque dolores.  
 Complorat natam lacrymisque per ora solutis  
 Illius repetit nomen suspiria ducens  
 Nunc vinclis cernit strictam, laesamque flagellis,  
 Nunc errare putat miseram per rura per urbes,  
 540 Et tandem pressam curis diro ense necari.  
 Haec volvens animo Diocles, loca quaestibus implet  
 Et gemitus tollit, cella resupinus in ipsa  
 Procumbit, laceransque genas et pectora tundens.  
 Tunc clamat juvenis questu commotus et ira.



**H**as ergo, Maxenti, vel ipsis belluis  
 Crudelior, venena nutriens sinu,  
 Has tot receptis gratias reddis bonis?  
 Quis nomen inclitumque Caesaris decus,  
 Quis obtulit tibi et nitentem gloriam  
 550 Sceptrumque victoresque militum exercitus?  
 Ingrata sensa sic iniquo pectore  
 Fovere gaudes! Tu seni patri negas  
 Caram cupitam filiam concedere!  
 Negas solari tristiori percitum  
 Patrem dolore, lacrymasque tollere?  
 Gemit senex cietque questus maximos  
 Curaque divexatus infelix perit!  
 Ingrate, monstra vincis et furias truces!  
 Cordi quid ingrato mali non jungitur?  
 560 Fugax tibi sit quaelibet fiducia,  
 Nivi ingruenti frigidae simillima  
 Solvatur usque, computrescat marcida  
 Currentis instar amnis unda refluat.  
 Ast punienda cordis obstinatio.  
 Ultoris ira justa Numinis ruit.  
 Decusque sceptri atque Imperi omnis gloria  
 Abit repente: vilis in certamine  
 Cades, nefande, bellico cum turbine  
 Inter cruentos devolutus gurgites.

570 **I**nterea Diocles curis agitatus acerbis  
 Dum dulcem revocat natam, dum nomine clamat  
 Multa dolens animo, Tiberis de littore venit  
 Nuncius. Exceptumque arrectis auribus audit  
 Illico Anastades, Dioclique dolentia verba  
 Commemorans, cessere, inquit, bella, horrida bella,  
 Et Tiberis multo despumans sanguine volvit  
 Colla virum, galeasque simul truncataque passim

- Corpora cum gladiis. Dudum jam Gallia vidit  
 Hinc illinc acies fortes concurrere ad arma,  
 580 Atque minas signare truces grandique tumultu  
 Irruere in patriam, Romanos perdere cives.  
 Has primum turmas Constans <sup>(26)</sup>, tibi munere junctus,  
 Duceret in diras infesto pectore pugnas,  
 Victoresque ageret laetus, latoque tropaeo  
 Firmaretque novis opibus, nisuque superbo.  
 Nunc natus, nuper decoratus nomine et alto  
 Caesaris imperio, turbas regit ipse paternas.  
 Ille tuus quondam obses erat <sup>(27)</sup>, Galerius illum  
 Tunc traheret secum. Grandi virtute coruscans  
 590 Consilio fortis, galea metuendus et hasta  
 Agmen agit; formidato ruit impete in hostes  
 Massiliae juxta muros: ceu turbo catervas  
 Dissipat infestas: subita formidine captus  
 Herculus <sup>(28)</sup> dat terga fugae, turpique scelestus  
 Morte perit: laetas acies tunc colligit Heros.  
 Cum subito ante oculos circum undique fulgurat aether  
 Luce nova rutilant, vestesque, comaeque, oculique,  
 Osque ducis: stupet ipse silens, sua lumina volvit  
 Qua sol mane oriens fulget, mirabile visu!  
 600 Obstupuere acies dulci terrore silentes.  
 Ignea tunc toto Crux spectatissima coelo  
 Signatur, medioque loco stant lucida verba:  
 Hoc signo vinces: clamant dulcedine ovantes  
 Per campos turbae: salve Crux sancta Triumphi.

- C**ruce beata, grande signum nobilis victoriae,  
 Tu levamen dulce cordis, mentium solatio.  
 En triumphus concupitus, nunc tibi conceditur  
 Fulgor ingens, fons amicis en salutis enitet.  
 Ipse fulgor fons cruentae mortis hostibus micat,  
 610 Te videntes robur addant vimque grandem pectori.

Luce ducti per catervas ense currunt hosticas.  
 At misellus cui negatur lumen ingens cernere,  
 Ensis illum perdit audax ingruenti vulnere.  
 Alma salve Crux colubri comparata aheneo ;  
 Hunc videnti mox redibat dulcis olim sanitas.  
 Ecce signum collocatum lene signum gentibus  
 Ecce gentis fons redemptae, fons beatitudinis.  
 Dia Crux fugas tenebras, dissipas et jurgia  
 Auream pacem reducis, munus omne largiens,  
 620 Lata per mundum nefanda dispulisti numina  
 Quaeque pulsans probra, mores intulisti civicos.  
 Gloriam tradis supernam, coelicasque gratias  
 Grande virtutum tropaeum, splendidum coeli Deus.  
 Tanta lux possit videri, percolique gentibus.

**N**ox erat et tacitas jucunda silentia in umbras  
 Agmina tuta tenent curis somnoque sepulta :  
 Heros visa animo secum miracula volutat,  
 Verbaque lecta notat, cum jam tentoria ad ipsa  
 Angelus advenit coelesti luce coruscans,  
 630 Miranda specie, toto et pulcherrimus ore  
 Sistitur ante oculos : quae tu mitissime Princeps  
 Signa agitas conspecta tibi, conscribe libenter  
 Vexillis mox ipse tuis ; Crucis inclita forma  
 Eniteat passim : tibi stat victoria certa,  
 Felix imperio totum dominaberis orbem.  
 Aliger (29) effugit lucem post terga relinquens.  
 Multa silens haeret, trepidatque exterritus Heros,  
 Jussa tamen mandat; tenebris aurora fugatis  
 Littore ab Eoo cum vix placidissima surgit  
 640 Signum dulce Crucis gestant vexilla, simulque  
 Bellantum galeae : peditumque equitumque phalanges  
 Angustam inscribunt formam, laetiquo salutant.  
 Virtute interea excitae, dulci omine raptae  
 Terrificae incedunt acies, Romamque propinquant.

- Haud procul a viridi, Tiberis quam perfluit, ora  
 Campus erat late praecintus collibus, atque  
 Umbriferis sylvis, quo tunc Massentius atrox  
 Duxerat infestas adverso Marte catervas.  
 Ille ferox animo, curisque agitatus iniquis  
 650 Fatidicos tentare Deos, sacra dona parare  
 Et mactare bovem flammantes jussit ad aras.  
 Jam Numen <sup>(30)</sup> fatale sonat; clamatque Sacerdos  
 Ista dies bello Romanum perderet hostem.  
 Demens omen habet laetum, vulgatque triumphum.  
 Venerat incedens mitis per rura per urbem  
 Luce Crucis fulgens Heros: tum buccina rauco  
 Dat signum pugnae sonitu: ruit impete grandi  
 In primas acies: gladiis utrimque coruscis  
 Instant adversi, volitantque micantia tela.  
 660 Ensibus accedunt enses, scutisque refractis  
 Corpora multiplici feriuntur vulnere, foedum  
 Percutiunt truncata solum; tum cominus omnes  
 Hinc atque hinc turmae sese conatibus urgent.  
 Pugna anceps agitur, cum lucida in aethere fulgent  
 Signa revisa Crucis. Subito clamore secundo  
 Fortius insurgunt percussae luce stupenti  
 Concursu magno peditumque equitumque catervae  
 Infestasque premunt turmas ad fluminis oram.  
 Undique compulsae cedunt, undaque reductae  
 670 Jamque catervatim glomerari ad litora tentant  
 Adgressum at nequeunt cornu superare sinistro;  
 Dextro autem, colles versus sylvasque coactae  
 Ponunt arma acies laetaeque Heroa salutant  
 Victorem: medium subita formidine captum  
 Agmen flectit iter dominam quo ligneus Urbem  
 Pons Tiberi injectus jungit camposque virentes.  
 Acrius adsiliunt trepidos facto impete, et alte  
 Cum Cruce vexilla ostentant, sonituque frementi

Undique praecingunt profugos, et pontis ad ipsum  
 680 Tum caput immani pugnant certamine, donec  
 Pondere bellantum fractus ruit ipse repente  
 Pons late in praeceps, simul ingentique ruina  
 Devolvit turmas, agitantes brachia frustra  
 Sanguineos inter fluctus, spumasque sonantes,  
 Corpora corporibus miscet, truncataque membris  
 Membra, hastas gladiis, galeisque natantia scuta.  
 Ore minax, rabieque fremens Maxentius <sup>(31)</sup> alto  
 Gurgite praereptus crudeli morte necatur.  
 Gutture foedatas recipit dum turpiter undas  
 690 Heros spectaculo gaudet, plausuque secundo  
 Laetificas inter turbas praegrande tropaeum  
 Extulit, hostem ultrix punit dum Numinis ira.  
 Interea cives qua porta recluditur omnes  
 Egressi novitate hilares, laetusque Senatus  
 Victorem excipiunt decoratum tempora lauro  
 Optatumque ferunt laudabili ab omine vasti  
 Imperii dominum : repetunt hunc carmine turbae.  
 Romulidae laeti, longo simul ordine Patres  
 Victricesque acies cantis clangentibus Urbem  
 700 Ingressae festum exultant celebrare triumphum.  
 Heros ductum equis niveis diademate fulgens  
 Invehitur curru portans sacra munera pacis.  
 Circumfusa ruit vicos, plateasque per omnes,  
 Plebs plaususque iterat gemmisque coruscans  
 Intextumque auro Labarum signisque notatum  
 Obstupet inspectans aeternae insigne salutis  
 Auriferaeque Crucis formam, mirabile visu !  
 Flexa genu recolit. Miraclum corde volutans  
 Omnia Pollenti Caesar pia sensa recludit,  
 710 Christiadis pacem donat, totumque per orbem  
 Templi jubet tolli, summo sacra thura cremari  
 Factori rerum, vulgari munera Jesu,  
 Et portentiferae coloestia dogmata Legis.

- Laetitia exultant cives passimque per urbem  
 Excurrunt, laudesque ferunt plaususque secundos  
 Victori. Subito caesi simulacra Tyranni  
 Fracta cadunt, turpi raptantur fune ligata  
 Aequanturque solo versis monumenta columnis :  
 Relligio Christi victor dominabitur orbe.
- 720 Haec ubi multa gemens turbatis auribus audit,  
 Mugitus tollit Diocles, suspiria corde  
 Longa trahit tristi, curaque agitatus acerba,  
 Deliquio pressus perdit sua sensa repente,  
 Corruit, atque jacet resupinus. At inde recepit  
 Paulatim vires, vomuitque horrentia probra  
 Ore venenato, manibusque per atria reptans  
 Immani cum voce sonat. Jam Numinis ultrix  
 In caput ira meum cadit atri fulminis instar !  
 Me miserum insectat diro mors lurida vultu
- 730 Jam morior nigra tectus caligine, et ipsi  
 Circum errant oculi, solem lucemque petentes !  
 Occubuere mihi cognati sanguine juncti,  
 Ipse senex pressusque malis, confectus et annis,  
 Invoco jam mortem, solamen dulce malorum !  
 Me fugiere mei ; vastis orientis in oris  
 Vivit adhuc mihi, selegi quem lege Quiritum,  
 Natorum in numero, gentis proh dedecus ingens !  
 Ast extrema manent torquentque venena scelestum !  
 Nil mihi fama juvat nec gloria nominis ipsa,
- 740 Haec ruit in praeceps ; grandi disjecta furore  
 Hac illac simulacra jacent sublata columnis  
 Jam monumenta suis turpi miscentur acervo.  
 Vitali quid luce fruor ? quid munere vitae  
 Gaudeo curarum pelago commotus iniquo ?  
 Me mors praeripiat tanto discrimine, et omni  
 Cum sensu solvat lethei oblivio lacus.

Dum Senior demens morientif corde volutat  
Has curas, vocesque iterat lacrymandaque verba,  
Ducit Anastiades venientem ex urbe Legatum  
750 Nomine Caesareo, qui majestate decorus  
Haec perfert: Diocles, Caesar diademate fulgens  
Te cupit adstantem festo, dum ducere sponsam  
Constituit: posito bello, victoria fulget  
Laurifero incedens curru: pax aurea Romam  
Italiam exhilarat totum diffusa per orbem.  
Insubres grandes ludos, festumque parare:  
Ergo veni; propera: summo te Caesar amore  
Expectat, veteresque duces, laetusque Senatus.  
At Senior (<sup>32</sup>), veteris memorans convicia culpae  
760 Victorisque timens rabiem, mortemque cruentam  
Caesareos renuit nutus, spernitque favores.  
Tunc furor invadit mentem: dementis ad instar  
Cursitat hac illac, clamatque, gemitque, ministros  
Evocat horrendo sonitu, stimulatque cietque  
Carnifices vexare minis, et vulnere diro  
Perdere Christiadas: furibundo pectore vulgat  
Jussa necis: crescit fera desperatio clades:  
Aede illa clausi, recolentes tecta Salonis  
Christicolae miseri gladio mactantur et igne:  
770 Interea Dioclem vexat dementia et angit,  
Nunc casus memorans tristes, cordisque dolores  
Ut puer illacrymat, tacita nunc mente pererrans  
Europae atque Asiae magnis excursibus urbes  
Invisit, ducitque agmen, celebratque triumphos,  
Nunc rabie exultat clades interque rogosque  
Incedens multo foedari sanguine, et altus  
Adsidens circo spectat pugnare leones.  
Curarum cumulus pectus descendit in imum  
Visceraque exurit flammatis ignibus ardor.

- 780 Lurida spectra animun turbant. Negat ipse videre  
Aetheream lucis speciem : moestoque cubiclo  
Se claudit pavitans : renuit responsa vocatus  
Sensibus abrepto similis : convivia spernit  
Vitalesque cibos : spernit quodcumque levamen.  
Nunc se multa gemens lecto, terrave volutat :  
Nunc raptare manu muros nunc tollere grandes  
Mugitus fletusque simul : diro igne vorari :  
Hinc dolor oxusto, vel desperatio corde  
Extremos reserare sonos, aurasque ciere.
- 790 Saepe carens sensu, motu et spoliatus ab omni  
Procumbit : viresque capit, consurgit, et errat  
Incertus vitae. ducit noctesque diesque  
Talia perpessus : nimio languore gravatus,  
Conclamat (<sup>32</sup>) : „Rapior, nigra circumdatus umbra,  
Christiadum Numen punit me vindice dextra,  
Infernoque lacu perdit lethaea vorago“  
Vidit Anastiades Dioclis lugubria fata  
Ultricemque Dei poenm : fugit ocior aura.  
Fortiter occumbit profuso sanguine Martyr.





## Adnotationes.

---

### 1.

Dioclea, patria Diocletiani, erat oppidulum non procul a Salonis, ut docet Porphyrogenitus. Nonnulli volunt fuisse Castrum Sa-xeum. Farl. II. 346.

### 2.

Gens Valeria nobilissima inter Salonitanos. Cajus Aurelius Valerius, avus Diocletiani, opibus et honoribus florebat. Volunt aliqui Valerium, patrem Diocletiani, scribam fuisse, cum quodam casu paternis bonis fuerit spoliatus. Diocletianus videtur fuisse appellatus Cajus Aurelius Valerius. Familiam Valeriam, Roma Salonas commigrasse anno 270, optimis argumentis probat Joannes Tomcus Marnavitius Farl. II. 356.

### 3.

Sacerdos quaedam inter Druidas, com hospitio in Moesia Dioclem excepisset, et ab eo hospitalia peteret dona, dixissetque Diocles, se daturum cum ad imperium conscenderet, sacerdos illa dicitur fatidica quadam voce protulisse: eris Imperator, cum Aprum occideris. Farl. II 357.

### 4.

Arrius Aper cum dolo occidisset Numerianum imperatorem, generum suum, qui praeerat exercitui romano, cum Diocletianus Moesiaci exercitus Praefectus, et domesticis Praepositus, vellet se excusare a suspitione caedis Numeriano illatae, teneretque militum concionem, in eaque Arrium Aprum vidisset, de repente ira ardens irruit in Aprum, eumque manu propria peremit: et ab exercitu apud Chalcedonem oblatam purpuram sumpsit. Farl. II. 352.

## 5.

Margus. Aliqui volunt hanc urbem fuisse in Pannonia, aliqui in Illyrico, atque ideo Murgum idem esse ac Mucrum. Hinc Auctor Chronici Norimbergensis et Hieronymus Heninges, probant Carinum apud Mucrum sive Mucarum in Dalmatia fuisse acie victum. Mucarum autem juxta Farlatum II. (362) idem est ac Macarsca nostrorum temporum.

## 6.

Carinus bello victus, tum in Pannonia, tum in Dalmatia, Narbonam, idest Naronam, quae sua patria erat, confugit, et suos excitavit, sed a Diocletiano iterum devictus bellans cecidit. Farl. II. 362.

## 7.

Diocletianus vicit Sarmatas et Raethos in Pannonia, et timorem, suis victoriis, incussit Germanis. Farl. II. 363. Triumphus fuit illi decretus ob has victorias ann. 287.

## 8.

Galerius a Diocletiano missus contra Nerseum, Persarum Regem, primo quidem haud bene rem gessit, sed postea victoriam obtinuit. Triumphus ob hanc victoriam Diocletiano decretus.

## 9.

Tanto amore ac benevolentia Nicomediam Diocletianus prosequabatur, ut eam nobilitate palatiorum et monumentorum Romae studuerit comparare. Instituerat eam totius Orientis Urbem Principem.

## 10.

Lactantius de Mortib. Pers. Cap. 10. „Tum quidam ministrorum scientes dominum, cum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis im mortale signum: quo facto, turbatis daemonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant, et quasi non litassent, saepius immolabant.“

## 11.

Galerius cum suis in odium Christianorum tentavit flammis incendere Diocletiani Palatium, et reos scelestissimus accusavit Christianos, ut excitaret imperatorem ad Edictum persecutionis vulgandum. Lact. Cap. XII. de Mort. Pers.

## 12.

Galerius, omnium iniquissimus. Diocletianus, vulgato edicto persecutionis tanta mentis imbecillitate et quasi dementia affectus est, ut relicta Nicomedia, varias Europae regiones peragraverit. Ubi autem Romam pervent, furiis Galerii excitatus, novum edictum vulgavit in Christianos. Lact. de Mort. Pers. Cap. 16.

## 13.

Diocletianus respondit Herculio, qui cum excitabat ad purpuram recipiendam: utinam Salonae posses visere olera nostris manibus instituta! Farl. II. 497.

## 14.

S. Cajus Papa, ex gente Valeria Salonitana, patruelis Diocletiani, sub quo martyr occubuit Romae.

## 15.

S. Gabinius martyr, ex gente Valeria, frater S. Caji et patruelis Diocletiani martyrio coronatur Romae.

## 16. 17.

S. Claudius et S. Maximus fratres, ex gente Valeria Salonitana, apud ostia Tiberina, patruelles Diocletiani, martyres occubuerunt. Claudius erat clarissimus, et Maximus erat comes rei privatae.

## 18.

Praepedigna uxor Claudii, et filii Alexander et Cutia, apud ostia Tiberina igne occubuerunt martyres.

## 19.

S. Susanna filia S. Serenae et Diocletiani, quia renuntiavit

---

Jovi sacra offerre et nuptias Herculii Maximiani, in aede propria, gladio transfixa, martyr occubuit.

10.

Tanta fuit clades Christianorum in Diocletiani persecutione ut haec aetas appellaretur Aera Martyrum.

21.

S. Felix, Epetinus Episcopus, cum duobus pueris videtur martyrium subiisse in littore prope aedem Diocletiani.

22.

Ita Lactantius cap. 42. "Jactabat se huc, atque illuc, aestuante anima per dolorem, nec somnum nec cibum capiens. Suspiria, et gemitus, crebrae lacrymae, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi."

23.

S. Petrus, Episcopus Salonitanus, martyrium subiit Salonae paulo ante Diocletiani teterrimum interitum.

24.

S. Artemia Virgo et Martyr, quae antequam gladio interficeretur hortata est Anastasium, ut baptisma reciperet, et inde martyrii coronam adsequeretur.

25.

Maxentius, Romae a militibus Imperator creatus, immemor beneficiorum a Diocletiano acceptorum, renuit ad senem mittere Valeriam ejus filiam. *Farl. II. 504.* Hic ipse Maxentius postea a Constantino victus, in Tiberi cadens periit.

26.

Constantius, simul cum Galerio, a Diocletiano Caesar fuerat nominatus, et in Galliam missus, ut illas provincias bello tutaretur. Hic fuit pater Constantini.

27.

Constantinus fuerat obses in Palatio Diocletiani, cum a Galerio, qui ab Oriente redierat, duceretur.

## 27.

Herculius Maximianus apud Massiliam a Costantino bello debellatur.

## 28.

Constantinus postquam vidit fulgentem crucem in sole cum epigraphe  $\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\phi\ \nu\acute{\iota}\chi\chi$ , commonitus est, ut ait Lactantius cap. 43. in quiete ut coeleste signum Dei notaret in scutis, atque ita proelium committeret. Fecit ut jussus est, et transversa X littera, summo capite circumflexo, Christum in scutis notat.

## 29.

Maxentius, ut ait Lactantius cap. 44. inspicere jubet libros Sibyllinos, in quibus repertum est, illo die hostem Romanorum esse perituum.

## 30.

Maxentius, in fugam versus, properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium pressus in Tiberim deturbatur. Lact. ibi

## 31.

Id habetur in Farl. (II. 403.) Victor in Epitome. Quippe cum a Constantino et Licinio vocatus ad festa nuptiarum per senectam quominus interesse valeret excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio ac Maximino favere, suspectans necem dedecorosam, dicitur hausisse venenum.

## 32.

„Ita viginti annorum felicissimus Imperator, ad humilem vitam dejectus adeo, et proculcatus injuriis, atque in odium vitae deductus, postremo fame atque angore confectus est. Lact. cap. 42.



## **Index.**

---

Auctoris vita . . . . .	pag. III
Praefatio . . . . .	” 3
Liber I . . . . .	” 9
Adnotationes . . . . .	” 36
Liber II . . . . .	” 41
Adnotationes . . . . .	” 63
Liber III . . . . .	” 73
Adnotationes . . . . .	” 90

---



## NOTIZIE.

---

*Storia della medicina in Roma* di Giuseppe Pinto. — Roma, tipogr. Artero e C. 1879.

L'importanza di quest'opera di nuova pubblicazione, corrisponde al titolo che la designa, e sebbene tratti di questioni scientifiche in rapporto alla storia, pure essa fu scritta con molta semplicità e chiarezza.

Il Dottor Pinto ne ha desunto l'argomento dalle lapidi, dalle monete, dai frammenti degli scritti di quell'epoca, ricostruendo l'edificio della storia della medicina, come l'architetto, da pochi ruderi rimasti, ritrae il disegno e le dimensioni dell'intera fabbrica.

Notevole è l'argomento tratto dagli emblemi di medaglie antichissime dell'epoca repubblicana, per provare l'esistenza di medici romani nella detta era.

Di questo libro assai pregevole un riputato periodico dà il seguente giudizio: „non ci peritiamo ad asseverare che malgrado qualche menda questo è uno di quei libri che in tanta protervia „di superficiali elucubrazioni, consola e fa bene al cuore del vero studioso.“

\* \*

*Storia dei Romani* di P. Duruy. — Paris, Hachette et C.ie. È il duodecimo volume il quale comprende il periodo storico dalla battaglia di Zama al primo triumvirato. Il Duruy è uno scrittore ammirabile ed uno storico distinto, e l'opera sua deve essere letta e studiata da ogni cultore di studi storici.

\* \*

*Antichità Romane* di G. Marquardt e T. Mommsen. — Lipsia, S. Hirzel. 1879. È uscito il volume settimo, e contiene la prima parte della *Vita privata dei Romani*, di cui è autore Marquardt, notissimo nel mondo studioso pelle distinte opere che ha pubblicato.

\* \*

*I costumi del medio evo, ricavati da sigilli di quell'epoca*, di C. Demay. — Parigi, D. Dumoulin et C.ie. Opera molto pregevole, specialmente pelle 600 incisioni ch'essa contiene. Divisione dell'opera: I. *I suggelli*. Loro materia, colore, forma, dimensioni e loro rapporti cogli atti. Le matrici de' suggelli. — II. *Il Costume*. Costume dei re, delle dame, dei cavalieri (da guerra e da parata). Tipo araldico (origine del blasone e sua applicazione). — Costume da caccia. Costume dei *maires* e degli *scabini*. — Tipo nava-



le. — Costume sacerdotale. — Tipo divino (le tre Persone Divine). — Gli Angeli. — La Vergine. — I Santi.

La storia del Costume è considerata oggidì come una parte integrante della storia delle Nazioni. Per bene comprendere la vita de' popoli antichi, non basta conoscere la data delle battaglie e delle rivoluzioni: e conviene sapere anche le particolarità della loro vita privata, entrare nelle case loro, assidersi ai loro focolari, discendere con essi in piazza, udirli come parlano, vederli in azione. È poi interessante in modo speciale il sapere come si abbigliavano. Tra la civiltà e il modo di vestire di un popolo havvi un'armonia necessaria che l'età nostra ha compreso molto bene. Puossi giudicare un popolo dal suo modo di abbigliarsi.

I suggelli, questi piccoli bassorilievi che servirono per autenticare gli atti nel corso di molti secoli, riproducono con esattezza scrupolosa il costume de' personaggi dell'epoca. Eseguiti sotto gli occhi di coloro ch'essi rappresentano, i suggelli offrono ne' loro particolari una fedeltà incomparabile.

\* \*

*Dizionario delle antichità cristiane*, dell'abate Martigny. — La scienza dell'autore è stata lodata, ed il suo merito è stato discusso quando venne nel 1865 pubblicata la prima edizione. Nella seconda egli ha inserito a suo luogo le scoperte recenti, ed ha tratto profitto delle critiche che gli vennero fatte quando quella fu pubblicata.

\* \*

*Disposizioni a conservazione di monumenti nell'Isola di Samo*. Leggemo in più giornali (se la notizia sia vera o meno, poco importa) che il principe regnante di Samo, vassallo del Sultano, ha pubblicato un ordine allo scopo di preservare le antichità di quell'isola, da' continui guasti che vi sono recati, disponendo „che „chiunque avrà distrutto, guastato o trasferito da uno in altro luogo, „marmi od oggetti d'arte antica, incorrerà nella pena fino a un „mese di carcere o fino a 500 piastre di multa (115 lire italiane), „Nella stessa pena incorrerà quel funzionario pubblico che non denunciasse al giudice competente gl'individui che avessero commesso i fatti suindicati.“ Per quanto sappiamo, da noi non vi hanno disposizioni addatte a tutela de' monumenti, e le Autorità essendo indecise nel trattare le denunce che alle volte i Conservatori fanno nell'interesse de' monumenti, e specialmente di avanzi di antiche fabbriche, accade che i guasti continuano impunemente, e che a poco a poco, per mano di barbari, spariscono oggetti e fabbriche che il tempo aveva rispettato.

\* \*









